MICHAËLIS
A M A T I
PRESBYTERI NEAPOLITANI
D E
OPOBALSAMI
S P E C I E
Ad Sacrum Chriſma conficiendum requiſita
D I S S E R T A T I O
Hiſtorico - Dogmatico - Moralis.
EDITIO SECUNDA
Ab Autore recognita, & aucta.



NEAPOLI MDCCXXX[illegible]
Typis, & Sumtibus FRANCISCI RICCIARDI.
Ex publica Autoritate.

Digitized by Google

36

כול־די מן־טעם אלה שמיא
יתעבד אדרזדא לבית אלה
שמיא די־למה לחוא קצף :

א עזרא . ז כג :

Omne , quod ad Ritum Dei Coeli pertinet , tribuatur diligenter in domo Dei Coeli : ne forte iraſcatur .

I. Eſdrae VII. 23.

ILLUSTRISSIMO, AC REVEREN-DISSIMO DOMINO

D. MICHAËLI ORSI

Archiepiſcopo Hydruntino.

COgitanti mihi, animoque revolventi, Ill. Archipraeſul, cujus tutelae committerem, commendaremque Opuſculum iſtud mole exiguum, re non parvum, & ab Indigenis aeque, ac Exteris adprobatum de Opobalſami ſpecie ad Sacrum conficiendum Chriſma requiſiti, quod iterum mea opera ab Autore recogni-

tum,& auctum, nova veluti luce donatur; continuò Benignitas tua, morumque ſuavitas, ac comitas, qua omnium corda tua facis, occurrit. Abſterrebant quippe Inſularum majeſtas, & tot, tantaque decora, quae te ſuſpiciendum utique, ſed non conſpiciendum, niſi a ſummis viris, reddunt: Qui enim (ſic tacitus pectore volutabam) qui enim fieri poteſt, ut homo vulgaris, & nulla ornatus dignitate, aut merito communitus tantum Archipraeſulem noſtri Aevi miraculum, Eccleſiae decus, & noſtri Regni columen, adloqui auſim, eique tam modicum opus exhibere, eumque precari,

ut

ut in ſui patrocinium ſuſcipiat?
Urgebant ex adverſo mei in Te
animi devotio, & beneficiorum
memoria,quibus me tibi devin-
ctum habes, ut tandem aliquan-
do qualecumque grati animi
ſpecimen exhiberem. Vicit ergo,
vicit,Ill.Archipraeſul, meum
erga Te obſequium, & tituban-
tem,timentemque animum im-
pulit,firmavitque. Quid? quod
ſtimulos addidit ſpectata illa
tui animi virtus, qua omnes
in Tui admirationem pertrahis:
An non omnium opprobria me-
reri dicendus eſſem, & cuncto-
rum cenſura caſtigandus, ſi
quam omnes venerantur Tui
meriti amplitudinem,unus ego,

qui maxime debeo,aut non ſatis perſpectam habere,aut non colere viderer, quum,oblata occaſione meam teſtandi reverentiam,illam praeterlabi ſinerem? ſane vero is es,Antiſtes integerrime, cui omnes, qui Tui notitiam habeant, cui autem ignotus es?ſe,ſuaque omnia quàm libentiſſime dicant. Etenim in omnibus, quaſcumque adminiſtraſti Provincias,eum Te exhibuiſti, ut non tibi, ſed aliorum commodo natus eſſe videreris. Delectat hìc, immo & juvat temporis illius memoriam refricare, quo Tu in hoc noſtro Regno Caeſareae, Catholicaeque Majeſtatis Belli & Status a Secre-

cre-

cretis apud Excellentiſſimum, ſemperque memoria ob ejus praeclariſſima geſta recolendum Proregem Comitem de Daun, conſtitutus, tantam, tamque difficilem Provinciam ea prudentia, aequitate, ac juſtitia rexiſti, ut omnes in Te oculos intenderent, omnes Te unum commendarent, nemo Te non omni laude dignum cenſeret. Sed enim quis non tuam in negotiis, & quidem maximis gerendis dexteritatem, ac felicem, ut ita dicam, facilitatem non eſt cum admiratione contemplatus? Belli, ac pacis jura tanta diligentia curaſti, ut ambiguum eſſet, an militiae gerendae aptior, vel ci-

vilibus adminiſtrandis negotiis melior: certe utraque in re adeo praeſtabas, ut nemo anteponendus, pauciſſimi conferendi eſſent. Ordinem aeque, ac Populum, Plebemque ita pertractaſti, ut omnes Tibi devinxeris. Primores tuam admirati urbanitatem, Equeſtris, Plebejique generis homines humanitatem, modeſtiam, morumque ſuavitatem experti, etſi diſpari ordine, concordi voce tuam nemini ſecundam virtutem ſummis laudibus extulerunt, & jam num extollunt. Unicuique jus ſuum tribuere doctus, ita Regia jura tuitus es, ut tamen nulli privato injurius fueris. Sperabamus, Ill.

Prae-

Digitized by Google

Praeſul, ſperabamus majora, & diuturniore fortuna nos fruituros, firma credebamus fide. Sed Tu ex tuo Charactere ad Sacratiora pertractus munera, nos tui deſiderio flagrantes dereliquiſti. Praefecturae Eccleſiae Altamurenſis primùm munere donatus, ad Hydruntinam mox Metropolitanam adminiſtrandam Eccleſiam, jubente potius, quàm invitante Auguſtiſſimo noſtro Caeſare, in ſuorum ſubditorum aeternam, non ſecus ac temporaneam ſalutem intento convolaſti. Tuam vereor modeſtiam, Vir praeſtantiſſime, Catholicorum Praeſulum exemplar, ac lumen, ſi in tuis proſe-

 quen-

Digitized by Google

quendis laudibus mea excurrat Oratio. At,me tacente,tota proclamat Italia;immo tota applaudit Europa, in te uno tanta reperiri Epiſcopi decora,ac virtutes, ut etiam ſi per partes in ceteros diviſa conſpicerentur ad optimum, & vigilantiſſimum exhibendum ChriſtiOvium Paſtorem, ſatis ſuperque eſſent. Quis non tuam in curanda Plebe indefeſſam vigilantiam praedicat? Quot ſunt, qui in commendando tui cordis zelo, ut in Clero Eccleſiaſtica ſemper vigeat diſciplina, copiam dicendi, non modum invenire profitentur? Quantus tuus labor,ut Eccleſiae jura ſartatecta cuſtodias?

Quan-

Quanta caritate oves tuas complecteris? Quis recenſeat in vindicandis, caſtigandiſque tuorum Sacerdotum, ac Clericorum culpis, ſi fortè a recto Sacrorum Canonum tramite devient, diſcretione temperatum rigorem? Quae tua comitas in corrigendis Plebanorum criminibus? Quanta Tui animi clementia, qua pauperes, inopeſque excipis, ut jam Epiſcopale Aerarium Pauperum Patrimonium ab omnibus tuae Dioeceſis Indigenis publicè proclametur? Quanta tua manſuetudo in revocandis ad bonam frugem palantibus ovibus? Quo angeris dolore, ſi Eccleſiaſtico mucrone

co-

Digitized by Google

cogeris quempiam perditum hominem a reliquo tuae Eccleſiae corpore ſeparare? Multus eſſem, Antiſtes Ill., & majoris molis volumen requireretur, quàm ſit Opuſculum,quod Typis editum Tibi exhibeo,ſi cetera tui Animi egregia decora,ſuſpiciendaſque virtutes proſequi vellem. Moleſtus etiam tibi eſſem, & modeſtiam tuam laederem,ſi ultra procurrerem. Ceteras igitur, & quidem maximas excelſi tui animi dotes ſilentio premere jubeor, quas tamenFama per omnes Chriſtiani Orbis Regiones pervagata deliteſcere non ſinit. Vive igitur, vive diu, laudatiſſime Praeſul, Regni

Nea-

Digitized by Google

Neapolitani jubar fulgentiſſimum, & Te incolumem nobis omnibus, & tuae Eccleſiae diu ſerva, & quod exhibeo munuſculum aequi, bonique conſule, meque fimbriam Sacrae Chlamydis deoſculantem inter tuos humiliores Clientes adcenſere ne dedigneris; cum aeternùm futurus ſim.

Dom. Tuae Jll. & Rev.

Datum Neapoli pridie Calendas Sextiles Aerae vulgaris Chriſtianae anno M I϶CCXXII.

Addictiſſimus, Humillimus, & obſequentiſſimus famulus
Franciſcus Ricciardus.

Digitized by Google

48

TYPOGRAPHVS
AD LECTOREM.

EN tibi, Amice Lector, recuſam Diſſertationem *De Opobalſami ſpecie ad Sacrum Chriſma conficiendum requiſita*, dudum meis Typis, ſed Autoris ſumtibus in lucem editam. Miraberis fortaſſe tam cito mea cura iterum citatis Operis impreſſam tibi exhiberi. Sed nihil eſt, ut frontem corrugeš, intendaſque ſupercilium; ſi ad cauſſam tam ſubito repetitae impreſſionis adtendas. Quaenam haec fuerit, accipe. Hujuſce Diſſertationis nonniſi pauciſſima exemplaria in Amicorum gratiam edi curavit Autor, non ſuae gloriae cupidus, sed in publicum dumtaxat commodum intendens. Ex iis nonnulla ad Praeclariſſimos Viros, & quidem exteros pervenere: ab iiſdem probatum opus, & ſummopere commendatum. Hinc factum eſt, ut vulgata ejuſdem operis fama, ſingulis ferme diebus alia, atque alia expoſtulentur exem-

pla-

plaria. Autorem propterea enixe deprecatus ſum, ut pateretur meis Typis iterum evulgari. Cui expoſtulationi is primùm quidem adſentiri noluit: verebatur quippe, ajebat, ne temeritatis, & impudentiae inſimularetur, ſi poſt tot Scriptorum de hujuſcemodi rebus tam erudita, & laudata volumina, ſuam opellam tanta celeritate denuo praelo committi, & in Scenam, ut ajunt, prodire permitteret. At vero repetitis, crebriſque, & forte importunis precibus victus, tandem, quamquam invitus ceſſit. Sed enim, ne recoctam crambem faſtidioſis ſtomachis obtrudere videretur, eam novis veluti conditam juſculis exhibere voluit: nimirum denuo adtentiſſimè recognitam novis, ſed eruditis obſervationibus auxit. Eam igitur ad umbilicum exactam, & tam pretioſis additamentis adauctam tibi exhibeo. Tu noſtris fruere, & ex voto vale.

BENE-

BENEVOLO LECTORI
Felicitatem.

T*Anta eſt hiſce temporibus ſcripturiendi libido: tantaque librorum mole jam pene obruimur, in quibus vel recoquunt crambem Autores, vel inepta prorſus, & ſpongia potius delenda, quàm Typis donanda, oculis legentium obtrudunt; ut facile mihi perſuaſerim, Candide Lector, hancce, quam tibi exhibeo Opellam, vel ad inanem oſtentationem antìquae eruditionis, qua certe minime pollere profiteor, ſcriptam, fore cenſendum, vel ea dumtaxat praeferre, quae jam ab aliis inſignis notae* Scriptoribus *vel ad nauſeam ſcripta & pertractata ſint, ac proinde futilem, & indignam, quae vel curſim legatur. Facturus ſum ergo operae pretium, ſi tibi ipſo in limine ſcribendi rationem, & cauſſam, & quae legenda proponam, ingenue, & ſine fuco explanem.* I*ſta, quae ſint, paucis accipe. Elapſi menſis die tertia ad ornatiſſimum* Oratorium, *tota* Ita*lia celebratiſſimi Pharmacopolii, Monaſterii* FF. S. *Franciſci a Paula S.Ludo-*

vi-

vico dicati ad Palatium,*ut ajunt Noſtrates, ut facerem de more, ſummo mane me contuleram. Sed ecce tibi Sacerdos quidam ejuſdem Familiae a Fr. Franciſco Vaſſallo Viro ſupra ceteros omnes tam praeclarae artis Chymicae peritiſſimo praelaudato Pharmacopolio Praefecto, Opobalſamum ad Sacrum conficiendum Chriſma expetebat. Sciſcitabatur Praefectus* Peruvianum *ne,an* Tolutanum *exquireret. Sacerdos vero ſe ejuſmodi rerum ignarum profitebatur: ajebat dumtaxat ab Ill. Nicoterenſi Epiſcopo, ſibi commiſſum, ut Opobalſamum, & quidem optimum, habendum, eique quam citiſſime tranſmittendum curaret: cujus vero ſpeciei ne hilum quidem in Epiſtola ejuſdem Praeſulis. Tum me intuitus idem* Praefectus *interrogavit, quam Opobalſami ſpeciem, eſſet daturus, ut Sacrum Chriſma recte ex Ritu Eccleſiae conficeretur. Aqua tum ego haeſi: utpote cui non ſuppetebat memoria ea de re ſatis in Autoribus Sacris legiſſe.* Id *tantum repoſui: Opobalſamum ad Sacrum Chriſma neceſſarium eſſe ſcio, ſed cujus ſpeciei ignoro.*

Digitized by Google

ro . Puto tamen aptum eſſe illud , quod in Indicarum nucum putaminibus advehitur : in mentem enim veniebat ab rerum Indicarum Scriptoribus illud , tamquam optimum celebrari . Auſcultavit bonus ille Vir, & ejus ſpeciei Opobalſamum expetenti Sacerdoti ad praelaudatum Praeſulem remittendum dedit . Ego verò cum feciſſem , domum reverſus ſtatim ad rem diligentius perveſtigandam animum adjeci : cumque permultos tum profanos, tum Sacros conſuluiſſem Scriptores , deprehendi me in conſilio , quod dederam haut erraſſe . Laetabundus proinde rem poſtridie eidem Fratri retuli , at ille obmuſſitabat primum: deinde clare locutus, ait : ſe aliter a duobus Epiſcopis , qui praecedenti die occidente jam Sole ad ſuam convenerant Officinam, accepiſſe: eoſque profeſſos, ſe Opobalſami Peruviani, ſpeciem liquidi ſcilicet, ac nigri in conficiendo Chriſmate adhibuiſſe . Quamobrem enixè precabatur , ut quae ea de re ſtudio comparaverum literis mandarem . Ita enim cauſſam iſtam antiquitatis latebris adhuc deliteſcentem in medium pro-

la.

latam, ac e tenebris erutam clarius patefaciendam eſſe ajebat. Re igitur maturius diſcuſſa, obſequendum Amico cenſui, & eo vel maxime, cum apud neminem ex Autoribus de Confirmationis Sacramento agentibus, quaeſtionem ſatis pro merito ad examen revocatam perſpexiſſem. En igitur, Candide Lector, ſcribendae Diſſertationis cauſſam, & materiem. Qualis qualis futura ſit, eam tibi hilari, promtoque animo exhibeo. Tu eam aequi, bonique conſule: Si quaedam habeat, quae probanda ſint, calculum adde: ſin autem non ſatis digna videatur flammis devove: non renuo, quin, & manus do: ſi nonnulla adjicienda compereris adjice, & pro Sacra literaria Republica laborare ne graveris. Ceterum ſi munuſculum, quod praebeo reſpuendum exiſtimes: benevolum ſaltem animum, rectamque mentem pro tua benignitate commenda. Vale.

Dabam Neapoli Idibus Martii CIↃIↃCCXXII.

54

Rev. D. Julius Nicolaus Tornus Examinator Curiae Archiepiſcop. revideat; & referat. Neap. 2. Martii 1722.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

Eminentiſsime Domine.

Librum mole exiguum, re magnum, cui Titulus: *De Opobalſami ſpecie ad Sacrum Chriſma conficiendum requiſita, Auctore D. Michaele Amato Presbytero Neapolitano*, Em. V. urgente auctoritate, quam adtentiſſime perlegi: nihilque in eo, quod ad noſtrae Catholicae Fidei, ac Chriſtianae morum diſciplinae amuſſim non ſit exactum, deprehendi. Porro Auctoris ingenium, ſtyli elegantiam, multigenam tum Sacram, tum profanam eruditionem; & ut ita dicam curioſitatem, ſum maximopere admiratus. Gratiae vero ſunt illi habendae, quod rem adeo obſcuram, & hactenus non ſatis diſcuſſam, & quidem Sacris Miniſtris Sacro Chriſmati conficiendo praepoſitis quammaxime neceſſariam, tanta facilitate, ac doctrina explanet: nec minori ſtudio, & labore ex variorum Auctorum voluminibus expromat. Dignum igitur exiſtimo librum, qui publica luce donetur, dummodo Em. V. Auctoritas non deſit.

Da-

Digitized by Google

Datum Neap.xv. Calendas Aprilis, anno Chriſtianae Epochae CIƆIƆCCXXII.

Em.V.

Humillimus, Obſequentiſsimus, & Addictiſsimus Famulus
Julius Nicolaus Tornus.

Attenta dicta relatione imprimatur. Die 16.*Aprilis* 1722.

D.Petrus Marcus Giptius Can.Dep.

Rev.D.Cyrus de Alteriis videat, & in ſcriptis referat.

Mazzaccara Reg. Ulloa Reg. Alvarez Reg. Giovene Reg.

Proviſum per S.E. Neap.23.Martii 1722.

Maſtellonus.

Excellentiſſime Princeps.

DIſſertationem Hiſtorico-Dogmatico-Moralem de Opobalſamo ad Sacrum Chriſma conficiendum requiſito, a D.Michaele Amato Neapolitano Presbytero conſcriptam, ſedulò perlegi; nihilque Juriſdictioni Regiae in ea nactus ſum minus conſonum, immo vero ſummam erudi-

tio-

tionem, atque elegantiam ſingularem. Quare, ni ſecus Exc.V. videatur, typis mandari poſſe tanti Viri labores exiſtimo; quemadmodum mihi admirandos, ita rerum Eccleſiaſticarum ſtudioſis apprime utiles. Neapoli XVI. Calendas Aprilis MDCCXXII.

E.V.

Addictiſſimus, & Obſequentiſſ. Servus
Cyrus de Alteriis.

Stante ſupradicta relatione imprimatur; verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.

Mazzaccara Reg. Ulloa Reg. Alvarez Reg. Giovene Reg.

Proviſum per S.E. Neap. die 14. Aprilis 1722.

Maſtellonus.

DE

DE
OPOBALSAMI
SPECIE

Ad Sacrum Chriſma conficiendum requiſita

DISSERTATIO
Hiſtorico-Dogmatico-Moralis.

DE Opobalſami ſpecie, ad Sacrum conficiendum Chriſma ex Catholicae Eccleſiae Ritu requiſiti, verba facturus, officii eſſe duxi, hujus Diſſertationis in limine, nonnulla de origine & cauſſa commiſtionis Opobalſami cum oleo in praefati Chriſmatis confectione breviter adferre. At verò priuſquam de tempore, quo hujuſmodi uſus in Eccleſia inoleverit, differamus, illud cumprimis animadvertendum eſt, quòd quamvis apud Orientales Confirmationis Chriſma, tum olei, tum triginta-quinque Aromatum,

A feu

Digitized by Google

ſeu herbarum exquiſiti odoris ſpeciebus, cum vini non exigua quantitate admiſtione conficiatur, ut in eorum *Euchologiis* videre eſt, ubi de Chriſmate agunt, & apud *Juſtinum Martyrem* (a) in *Dialogo cum Triphone*, ubi etſi non explicet, quaenam fuerint illae Aromatum ſpecies, fatetur tamen in genere, ex pluriumAromatum ſimplicium compoſitione coaleſcere: apud Occidentales tamen ex oleo olivarum dumtaxat, & Opobalſamo conficiendum eſſe, tum aliarum Eccleſiarum, tum Eccleſiae Romanae, & antiqui & moderni Rituales edicunt. Id verò potiſſimùm conſtat ex *Sancto Gregorio I.* cognomento *Magno*, (b) haec ſcribente in illa verba *Capitis* 1. *Cantic. Botrus Cypri dilectus meus in vineis Engaddi. In Engaddi*, inquit, *Balſamum gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione Chriſma efficitur,*

(a) *Floruit ſeculo II. c. an. CXL.* Triphonem *iſtum, cum quo* Juſtinus *diſputat, Eruditi exiſtimant, eundem fuiſſe, quem* Judaei Rabbi Tarphonem, *& vulgò* Sacerdotem divitem *vocant, Rabbi Achibae collegam & commilitonem, qui ob rebellionem, a Barcochabe excitatam, Patria relicta, in Graeciam ſe contulerat.* (b) *Seculo VI. labente, vitam ducebat circa an. DXC.*

tur, *quo dona Sancti-Spiritus exprimuntur*. Et in *Lib.Sacram.* eidem Sancto Pontifici adtributo, (*a*) in Coena Domini, quando Chriſma benedicitur, legitur: *Praeparantur ampullae duae cum oleo, quarum melior defertur Pontifici, ut accepto Balſamo, & commiſcitato cum oleo, manu ſua impleat eam*. Ita quoque Venerabilis *Beda* (*b*) in idem *Caput I. Cantic.* ad eadem illa verba, *Botrus Cypri,&c. In vineis*, ait, *Engaddi Balſamum gignitur, quod in Chriſmatis confectione liquori olivae admiſceri, ac Pontificali benedictione ſolet conſecrari, quatenus fideles omnes cum impoſitione manûs Sacerdotalis, qua Spiritus-Sanctus accipitur, hac unctione ſignentur*. Idem literis vulgatum invenitur in *Libro de Divinis Officiis*, qui

 Al-

(*a*) *Praefatus Sacramentorum liber*, *vulgò S. Eligii* Miſſale *nuncupatur*. *Videſis*, *quae de eo ſcribit* Hugo Menardus *in ejus Praefatione*. (*b*) *Seculo VIII incipiente*, *aetatem agebat circa an. DCCI. de hujus S. Doctoris Operibus tum editis*, *tum MSS. obſervandum eſt*, *quod ſcribit* Jo. Mabillonius in ſecul. Benedict. ſeculo III. Part. I. pag. DXXXIX, & DLV.

Alcuino (*a*) tribuitur, & apud *Amalarium* Metenſem Diaconum (*b*) in *Libro* I. *de Eccleſiaſticis Officiis, cap.* XII. & tandem aliis omiſſis, *Eugenius IV.* (*c*) in Decreto pro Inſtructione Armenorum, de Confirmatione loquens, inquit: *Cujus materia eſt Chriſma, confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiae, & Balſamo, quod odorem ſignificat bonae famae*. His ergo prælibatis, videndum modò eſt, quo tempore hic uſus admiſcendi Opobalſamum cum oleo pro ſacra unctione, in Confirmationis Sacramento peragenda, in Eccleſia coeperit.

Et

(a) Alcuinus, *ſive* Flaccus Alcuinus, *vel* Albinus *flor. ſeculo VIII. c. an. DCCLXXX. Liber de* Divinis Officiis, *ſive* Expoſitio Romani Ordinis, *habetur ſub ejus nomine inter alios Scriptores ejuſdem argumenti ſaepius editus.* Alcuini *autem non eſſe, & poſt annum M. ſcriptum eſſe, certo certiùs conſtat*.

(b) Amalarius Metenſis Diaconus, *ſeu, ut alii volunt,* Metenſis Corepiſcopus, *inter vivos degebat ſeculo IX. c. an. DCCCXII. De hoc opere* de Divinis, *ſive* Eccleſiaſticis Officiis *ſic* Boſtonus Burienſis: Scripſit Amalarius ad Ludovicum Regem de Offic. Eccleſ. lib. IV, quorum principium (*Glorioſiſſime*) finis (*Orationes*) *unde liquet, poſtrema duo IV libri Capita adjectitia eſſe; ſicut nec in Indice Capitulorum, IV libro praefixo, ea comparent.* (c) *Flor. ſeculo XV. circa an. MCDXXXI.*

Digitized by Google

Et quidem ante ſextum ſeculum, nec apud Orientales, nec apud Occidentales in uſu fuiſſe videtur. Apud Scriptores enim Graecos ante quartum ſeculum, qui Confirmatoriae Unctionis meminerunt, de praefata Opobalſami admiſtione cum oleo altum eſt ſilentium, ut apud praelaudatum *Juſtinum Martyrem*, *Baſilium*(a), *Cyrillum Jeroſolymitanum* (b), & *Dionyſium Lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia* (c) obſervari poteſt.

Ante quoque ſextum ſeculum nullus inter Latinos invenitur Scriptor, qui de hac admiſtione loquatur: nec *Tertullianus* enim (*d*), nec *Cyprianus* (*e*), nec *Innocentius* Papa I.(*f*), nec *Auguſtinus* (*g*), quamquam omnes de Chriſmate frequenter locuti ſunt, praedictae admiſtionis

 um-

(a) *Seculo IV. in vivis erat c. an. CCCLXX.* (b) *Eodem ſeculo IV. flor. c. an. CCCL.* (c) Dionyſius *flor. ſeculo I. c. an. L. Sintne hujus* Dionyſii *praed. lib. aliaque eidem adtributa opera, Eruditis examinandum relinquimus: ſufficit enim nobis, ut, eorum quiſquis fuerit auctor, ante VI. ſeculum ſcripſerit.*
(d) *Seculo II. vivebat c. an. CXCII.* (e) *Seculo III. vitam agebat c. an. CCXLVIII.* (f) *Flor. circa ſeculi V. initium, an. CCCCII.* (g) *Vitam duxit ſeculo IV, & V. c. an. CCCXCVI. uſque ad CDXXX.*

umquam meminerunt. Unde illam inter Latinos circa ſextum tantùm ſeculum uſurpatam fuiſſe, fatendum eſt, de qua poſtea *Gregorius I*, cujus verba ſupra retulimus, & *Gregorius Turonenſis* (a) ſcripſerunt.

Hic autem notandum, ne ab aliquo opponatur, antiquiorem eſſe hunc uſum in Eccleſia, ex eo quia *S. Cyprianus Lib. de Cardinalibus Chriſti Operibus ad Cornelium Papam* inſcripto, in *Serm.* ſeu *Tract. De Unctione Chriſmatis, & aliis Sacram.* loquendo de iis, quae in Feria V. Coenae Domini fiunt, ſcribit: *Hodie in Eccleſia cum ceteris unctionibus ad populum acquiſitionis ſanctificandum, in participationem dignitatis & nominis, ſacrum Chriſma conficitur: in quo miſtum oleo Balſamum Regiae & Sacerdotalis gloriae exprimit unitatem, quibus dignitatibus initiandis, divinitus eſt unctio inſtituta*. Qui locus praeſertim laudatur ab *Hugone Menardo* (b), *Wil-*

(a) *Seculo VI. in vivis erat c. an. DLXXIII.* (b) *In notis, & obſerv. ad lib. Sacram. S. Gregorii Papae I. in notis ad Fer. V.* in Coena Domini.

Digitized by Google

Wilhelmo Lindano (a), & *Vincentio Contenſonio* (b). Non, inquam, id obſtat: praefatum enim opus, in quo duodecim Sermones, ſeu Tractatus de Chriſti noſtri Redemtoris Operibus habentur, *Sancti Cypriani* non eſſe, omnes Eruditi fatentur, ut videre eſt apud *Bellarminum* (c), *Heſſelium* (d), *Poſſevinum* (e), *Antonium Arnaldum* (f), *Guilielmum Cave* (g), ceteriſque praetermiſſis, *Natalem Alexandrum* in ſua *Hiſt. Eccleſ.* (h), ubi ſcribens, Suppoſititium eſſe hunc librum Cypriani, ait: *Nec vetera MSS. Cyprianicorum Operum illum exhibent, nec ſtylus Cyprianum ſapit, nec doctrina Cyprianicae conſonat.* Id, quod etiam notavit citatus *Bellarminus*: Unde, ut praelaudati *Cave* & *Alexander* advertunt, aliique ex modernis Scriptoribus, praedictum opus eſſe *Arnoldi Bonae-Vallis* Abbatis

 in

(a) *Panopliae Evang. lib. IV. cap. XXVI.*
(b) *Tom. II. Theolog. mentis & cordis, lib. XI. p. I. Diſſert. IV. cap. I. Specul. II.* (c) *Lib. de Script. Eccleſ.* (d) *In Cenſ.* (e) *Lib. de Comm. ſub una ſpecie.* (f) *De freq. comm. p. I. cap. XI.* (g) *In Hiſt. liter. Scriptor. Eccleſiaſt.* (h) *Seculo III. cap. IV. art. IV. n. III.*

64

in Dioeceſi Carnotenſi, qui ſeculo XII vixit ſub *Hadriani IV.* Pontificatu, quod praeſertim conſtat ex *Codice MS.* Oxonienſis Collegii omnium Animarum, qui hunc librum repraeſentat ſub nomine praefati Abbatis ad *Hadrianum* Papam inſcriptum.

Maleferiati quidam homines nobis circa hunc uſum obganniunt, adſerendo; miſtionem hancce Opobalſami cum oleo in Confirmationis materia, ſicut & unctionem, ab Heterodoxis Sanctam Eccleſiam mutuatam eſſe, ex iis, quae ſcribit *Sanctus Irenaeus* (a) *Lib.I. cap.* xviii, quo loco Valentinianorum inſtituta recenſens, unctionis etiam ceremoniam eis adnumerat: ait enim, *Poſt deinde ungunt Sacratum Opobalſamo. Unguentum enim hoc typum dicunt ejus ſuavitatis, quae eſt ſuper univerſa. Quidam autem eorum adducere quidem ad aquam ſupervacuum eſſe dicunt: admiſcentes oleum & aquam in unum cum quibuſdam profanis dictionibus ſimilibus, quae ſupra praediximus, mittunt ſu-*

(a) *Flor. ſeculo II. circa an. CLXVII.*

ſuper eorum caput, qui ſacrantur, & hoc eſſe redemtionem volunt, ungunt autem & ipſi Opobalſamo. Id, quod praeſertim *Heracleonis* Sectarii, ex Valentinianae Haereſeos fonte fluentes, obſervabant; qui tamen ſuos, dum animam agerent, novo quaſi modo redimebant: Oleum, vel Opobalſamum, aqua temperatum, ipſorum capitibus infundentes; & invocationes quaſdam, Hebraicis conceptas nominibus, adhibentes; quibus muniti, a ſuperioribus Principatibus & Poteſtatibus coërceri, viderique non poſſe, dictitabant; inferioremque ipſorum hominem ſurſum poſſe a nemine conſpectum evadere: de quibus *S. Epiphanias* (a) ſcripſit *Haereſi xxxvi*.

At, quàm ridiculè iſta effutiant Novatores, pluribus demonſtratur. I, quia, ut rectè advertit eruditiſſimus *Petrus Daniel Huetius* (b), omnes Sacramentorum materiae ſumtae ſunt ex rebus communibus & obviis, ex aqua nempe, oleo, Balſa-

---

(a) *In vivis erat ſeculo IV. circa an. CCCLXVIII.*
(b) *In Alnetanis quaeſt. de concordia rationis & fidei, cap. XX.*

66

ſamo, pane, vino; quin & ex earum quotidiano & frequenti uſu, perceptiſque inde utilitatibus deſignari Sacramentorum peculiares effectus, nemo, qui Catholicus audit, ignorat. His verò etiam rebus; quamquam ſuperſtitioſè, Ethnici utebantur in ſuis Ritibus; at non propterea deducitur, ab illis Chriſtum Dominum & Sanctam Eccleſiam, in Sacramentorum materiis & Ritibus ſtabiliendis, res & ceremonias accepiſſe. II, quantum adtinet praeſertim ad commiſtionem Opobalſami cum oleo in Sacro Chriſmate conficiendo, cur non veriùs fatendum eſt, hoc ex Sacris Literis Sanctam Eccleſiam deſumſiſſe, ut ſacrae Unctionis in Confirmationis Sacramento myſteria magis exprimerentur? praeſertim propter Opobalſami fragrantiam, quae *Eccleſ.xxvi.20.* his exprimitur verbis: *Sicut cinnamomum & Balſamum aromatizans, odorem dedi.* & v.21. *Quaſi Balſamum non miſtum odor meus.* Etenim ex Opobalſami odore addiſcere ſatis poſſunt Fideles Confirmati, ſibi licere cum

Apo-

Apoſtolo dicere (a) : *Chriſti bonus odor ſumus.*

Sed enimvero, hunc Unctionis Ritum, quis inficiari poteſt, Sanctam Eccleſiam e Scripturis accepiſſe, non ſolùm quantum ad eam, qua in Baptiſmo, Confirmatione, Sacra Ordinatione utitur; verùm etiam quantum ad illam, quam in Eccleſiarum Dedicatione, Regumque Conſecratione adhibet. Et quidem, antiquiſſimum hunc morem fuiſſe, vel *Jacobi* exemplum oſtendit(*b*): lapidem enim, quo erat uſus pro cervicali, Deo dicavit ſolenni aſperſione olei, cum in ſomnis vidiſſet Angelos Dei de Coelo deſcendentes & adſcendentes; qua viſione veluti conterritus, exclamans dixerit: *Quàm terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud, niſi Domus Dei & porta Coeli*. Ex quo loco praecipuè Eruditi colligunt, libamen olei non in Sacrificiis tantùm, ſed extra Sacrificia, ubi quid conſecrabatur, ſanctificabatur, & Domino dicabatur, adhiberi ſueviſſe(*c*). Quem Ritum olim uſitatiſſi-

(a) *II.Cor.II.15.* (b) *Geneſis XXVIII.* (c) *Spencer. de LL.Hebraeor.rit.Diſſert.III.de Purif.&Luſtrat. Hebr.in fine.*

64

tiſſimum, nec in ſe ſuperſtitioſum Deus adprobavit, voluitque, ut *Moyſes* hoc ipſo Tabernaculum, ceteraque ſibi dicaret, ſanctificaretque. Methodum Chriſma hoc conficiendi praeſcribit *Exodi* xxx. 23, & ſeqq. additque: *Facies unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii, & unges eo Tabernaculum teſtimonii, & Arcam Teſtamenti, menſamque cum vaſis ſuis, Candelabrum & utenſilia ejus, Altaria Thymiamatis & holocauſti, & univerſam ſupellectilem, quae ad cultum eorum pertinet, ſanctificabiſque omnia, & erunt Sancta Sanctorum. Qui tetigerit ea, ſanctificabitur. Aaron & filios ejus praeterea unges, ſanctificabiſque eos, ut ſacerdotio fungantur mihi*. Idem praeceptum ulteriùs repetit *Exodi xxxx.* 9, & ſeqq. Quod & Moyſes ſedulò implevit, ut liquet *Num.*VIII.1, & *Levit.*VIII. 5. 10. 11. Et quia Sacerdotes itidem Deo conſecrabantur, olei aſperſione purgandi, ſanctificandique erant, juxta mandatum Dei (*a*). Quo praeterea ritu Chriſtum adum-

(a) *Levitici* VIII. 12.

Digitized by Google

umbrari, conſtat ex variis Scripturae locis(*a*). Reges quoque per inunctionem conſtitutos fuiſſe, ex *Joathami Apologo*(*b*) patet: *Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem*. Quemadmodum etiam poſtea Reges *David*, *Saul*, ceterique uncti ſunt(*c*), ut Sancta eorum Perſona eſſet inviolabilis, Deoque ſacrata, quam ſubditi eo ampliùs venerarentur, ac ſe ſubjectionis lege adſtrictos ſentirent, nec eam umquam violarent.

Poſtquam verò Sacerdotium externum in N. T. deſierat, myſtica ratione, quae de Sacerdotio & unctione in V. T. praecepta erant, in N. T. ad omnes fideles adplicantur, quippe qui coram Deo facti dicuntur *Sacerdotes & Reges per unctionem ſpiritualem*(*d*), quae omnibus fidelibus communicata eſt (*e*) ab ipſo Chriſto verè uncto, unde etiam nomen accepit, & fidelibus ſuis communica-

(a) *Pſal.XLV*.8. (b) *Judic*. *IX*.9. (c) *I.Samuel.X. & XVI*.14. ----*I. Reg. I*.39. --*II. Reg. IX*.6.9.
(d) *Apocal*. *I*.5. --*VI*. 10. --*I.Petr. II*.5.9.
(e) *Joan*. *I*.16. & *II.Joan. II*.20. 27.

70

cavit, quòd vocentur *Uncti*, ſeu *Chriſtiani*.

Hoc ipſum, quod ſpiritualiter de omnibus fidelibus Scriptura Sacra praedicat, Chriſtiani ſignis quibuſdam externis exprimere voluerunt: & inde varia unctionum genera reperta ſunt, de quibus mentionem injicit *Innocentius III.* in Decretali Epiſtola, Patriarchae Conſtantinopolitano miſſa (a): *Quia verò*, inquit Pontifex, *Chriſtus fecit nos in ſanguine ſuo Deo noſtro Regnum & Sacerdotes, propter quod Petrus Apoſtolus ait: Vos eſtis genus electum, Regale Sacerdotium: idcirco in Novo Teſtamento, non ſolùm Sacerdotes & Reges unguntur, ſed omnes Chriſtiani bis ante Baptiſmum, ſed oleo benedicto, primùm in pectore, deinde inter ſcapulas; & bis poſt Baptiſmum, ſed Chriſmate Sacro, primùm in vertice, demum in fronte.*

Nec officit, ſimili rerum unctione uſos eſſe quoque Ethnicos; qui tamen eo detinebantur errore, ut lapides, quos inunxiſ-

(a) *Anno MCCIV.* & *habetur* Cap. unico *extr.* de Sacra Unctione.

Digitized by Google

xiſſent ; adorarent, divinitatiſque neſcio quid ea olei perfuſione eis ſuperillabi crederent ; ut innuit *Lucianus*(a), & teſtatur *Arnobius* (b) . Quin & *Joannes Clericus* (c) oſtendit, frequentiſſimum olei uſum fuiſſe in Sacris Ethnicorum, & imprimis Aegyptiorum Ritibus. Etenim haec omnia perpendens *S. Auguſtinus Lib.xvi.de Civ.Dei, cap.xxxviii.* Jacobi geſta expendens, rectiſſimè ait: *Non eſſe ea comparanda Gentilium ſuperſtitioſis ceremoniis*: quandoquidem, *quod Jacob*, inquit, *fecit, ad Prophetiam pertinet. Neque enim more Idololatriae lapidem perfudit oleo, quaſi faciens eum Deum; neque enim adoravit eum lapidem, neque ei ſacrificavit, &c.* Ex quibus nemini non innoteſcit, morem inungendi res Deo dicandas, quamquam aliquatenus & a Gentilibus uſurpatum; longè tamen diverſa ratione & fine ab Ethnicis, ac a Fidelibus, quibus vera illuxit Religio, ad praxim reductum fuiſſe: ſiquidem
Ethni-

(a) *In* Alexand.Pſeudomante *poſt medium de* Rutellio Romano *loquente*. (b) Lib.I. adverſ. gentes.
(c) *In* not.ad Judic. IX. 9.

Ethnici ea , quae a Fidelibus acceperant, ad ſuperſtitionem , & Idololatriam deflexerunt*(a)*, ut *Valentinus*, ejuſque ſectarii etiam egerunt,a quorum tamen iniquitate & abuſu ſemper abhorruit, & abhorret Sancta & Catholica Eccleſia, ut ex iis, quae diximus,ſatis abunde liquet.

Poſtremò, ut Heterodoxorum ora prorſus occludamus, operae pretium eſt, nonnulla, quae manuum impoſitionem, ad Confirmationis Sacramentum requiſitam, contingunt, proferre. Qua in re illud eſt apprimè recolendum, manuum ſcilicet impoſitionem Ritum fuiſſe, quocum preces, aut benedictio conjungebantur, ut Veteris Inſtrumenti literae nos docent. Primùm eſt adhibita ea ceremonia a Patribus erga liberos, quibus bene adprecari volebant, & partem facultatum relinquere: ſic *Jacobus* bene precaturus filiis *Joſephi*,*(b) eorum capitibus*

(a) *Quae poſteriores Ethnici ex Chriſtianiſmo in Gentiliſmum tranſvexerunt. Videſis in* Epiſt. Juliani Caeſ. ad Urſacium ſummae Galatiae Sacerdotem, *quae integra adſertur ab* Antonio Van-Dale in Diſſert. Antiquit. *quin & Marm. &c.* Diſſert. I. cap. 1. (b) *Geneſ. XLVIII.* 14.

bus manus imponit. Deinde uſurpata fuit ad ſignificandam participationem poteſtatis cum aliis, aut ejus ad ſucceſſoris tranſmiſſionem: ſic cum *Moyſes* LXX. Viros adjutores ſibi creavit (*a*), factum hoc eſt, ut putat *Maimonides*(*b*), impoſitione manuum. Itidem cum morti vicinus, & Joſuam ſucceſſorem eſſet deſignaturus, Deus eum juſſit(*c*), *adſumere Joſuam & manus ei imponere*.

Triplicem ergo hunc morem imitata videtur Eccleſia in Novo Teſtamento, iiſdemque actionibus manus impoſitionem praecipuè adcommodaſſe. In precibus adhibetur, ſive curentur morbi, ſive remittantur peccata. Corporis aegritudines, corporea ſcilicet vincula (*d*) curabantur manuum impoſitione (*e*), prout praedixerat Chriſtus (*f*). Similiter peccata, ſpiritualia vincula ſolvebantur eodem Ritu: quandoquidem poenitentes, impoſitione manuum adhibita, abſolvebantur. Hinc ad *Hebraeos VI*. 2. ſicuti

(a) Num. XI. 17. (b) *Sanbed.* cap. IV. (c) Num. XXVII. 18. (d) Lucae XIII. 16. (e) Actor. XIX. 17. & XXVIII. 8. (f) Marci XVI. 18.

Baptiſmatum nomine denotantur cere-moniae, quas Judaei & Chriſtiani uſurpabant in admiſſione Proſelytorum; ſic impoſitione manuum ſignificatur receptio Proſelytorum, qui poſt Baptiſmum erant lapſi, ut ſcitè advertit *Joannes Clericus in praed c.vı.ad Hebr.*

Qui Ritus etiam in Primitiva Eccleſia, juxta Apoſtolicum documentum ſervabatur, ut praeſertim conſtat ex *Concilio Carthaginenſi III,*(*a*) ubi decretum eſt: *Ut Presbyter, inconſulto Epiſcopo, non reconciliet poenitentem, niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente. Cujuſcumque autem poenitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod Univerſa Eccleſia noverit, ante Abſidem MANUS EI IMPONATUR*. Et ex *Concilio Carthaginenſi V* (*b*), in quo legitur: *Presbyteris & Diaconis, ſi quando de gravi aliqua culpa convicti miniſterio remoti fuiſſent, MANUS NON IMPONERENTUR, UT POENI-*

TEN-

(a) *Celebr. Anno CCCXCVII. ſub Siricio Pontifice* Can. xxxii (b) *Celebr. Anno CCCXCVIII. ſub Anaſtaſio Pontifice*, Can. xı.

TENTIBUS . Et tandem ex *Concilio Agatenſi* (a), ubi ſtatutum invenitur: *Poenitentes tempore, quo poenitentiam petunt, IMPOSITIONEM MANUUM, & Cilicium ſuper caput a Sacerdote (ſicut ubique conſtitutum eſt) conſequantur.*

Ex Ritu verò paternis benedictionibus manuum impoſitionem adjungendi forte profluxit impoſitio manuum in benedictione puerorum (b), qua impoſitione ſignificabantur apti eſſe, qui per Baptiſmum in Eccleſiam admitterentur; quippe quorum, miſericordia Dei in Chriſto, erat Regnum Coelorum, hoc eſt, Eccleſia in hac vita, & Coelum poſt mortem. Ad hanc benedictionem reſpicit (ut videtur) Ritus, quo Catechiſta dimittebat eos, quos inſtituebat, antequam baptizarentur: unde *Euſebius lib.* IV. *de Conſtantini vita*, de ipſo, qui ſeſe baptiſmo parabat, ſcribit: *Cum confeſſus eſſet*, nimirum peccata, & fidem, *manuum impoſitione precum particeps factus*. Et Scri-

(a) *Celebr. Anno DVI. ſub Simmaco Pont.* cap. XV.
(b) Marci x. 16.

Digitized by Google

ptor Conſtitutionum, quae Apoſtolicae dicuntur,(*a*) memoratis iis, quae Cathecumenum doceri neceſſe eſt, ſubjicit: ***Adoret, qui manus ei imponit, Deum.***

II. Ex conſuetudine imponendarum manuum Succeſſoribus, vel Adjutoribus in V.T. ortum duxiſſe videtur mos imponendi manus Epiſcopis, & Diaconis, cum ordinabantur (*b*), ad quod manuum impoſitionis genus reſpicere Paullum, multi exiſtimant, cum ad Timotheum ſcribens(*c*), ipſum admonere videtur, ne quemquam in Sacros Ordines cooptet, qui non ſit ſpectatis moribus, illis verbis: *Manus citò nemini impoſueris*; quamvis alii ſentiant, orationis ſeriem in dicto capite id potiùs ſpectare, quod fiebat in abſolutione, ita ut moneretur Timotheus, ne nimis citò ad communionem reciperet eos, qui ſubjecti erant Cenſuris; hoc enim modo poterat Timotheus fieri *particeps peccatorum alienorum*: quae verba, poſt prius adlata, immediatè ſequuntur.

III. De-

(a) Lib. VII. cap. XXXIX. (b) Actor. VI. 6.--VIII. 17. XIII. 2.--I. Timoth. IV. 15. --II. Timoth. I. 6.
(c) I. Timoth. V. 22.

III. Demum impoſitione manuum confirmabantur maturiore aetate, qui antea baptizati fuerant, ut conſtat ex *Actor.* VIII. 17. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum-Sanctum*; quam manus impoſitionem Confirmationis cauſsa factam fuiſſe, vel ex eo certum eſt, quia proximè ſecuta eſt ea ceremonia converſionem & Baptiſmum eorum, in quorum gratiam adhibita eſt: *Cum autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Jeroſolymae, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum-Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jeſu* (a). Haec verba optimè conveniunt Confirmationi, quae ad ſolos Eccleſiae Rectores pertinebat, nec committebatur inferioribus Miniſtris, qualis erat Philippus Diaconus, qui Samariae degebat. Sic etiam videtur Paullus impoſuiſſe manum Epheſiis Diſcipulis, *Actor.* XIX. 5. & 6.

B 3

(a) *Actor.* VIII. 14.

Digitized by Google

78

& 6. Quibus, cum baptizati fuiſſent, manus impoſuit Paullus, &c.

Hactenus circa initia admiſcendi oleo Opobalſamum pro conficiendo Sacro Chriſmate, & circa Unctionis, ac manuum impoſitionis Ritum, Heterodoxorum cogente impudentia, vagati ſumus: nunc e diverticulo in viam.

Ex iis, quae diximus, non obſcurè deducitur, admiſtionem Opobalſami cum oleo non eſſe de neceſſitate Sacramenti, nec praecepti Divini, ſed tantùm Eccleſiaſtici; id, quod etiam ex eo conſtat, ut rectè advertit *Gaſpar Juenin*(a). quòd *Innocentius* Papa III. rogatus ab Hilienſi Epiſcopo (b), utrùm iteranda eſſet Confirmatio cujuſdam hominis, qui per errorem oleo ſimplici in fronte fuerat obſignatus, ſic reſpondit (c): *In talibus non eſt aliquid iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat omiſſum*: ſuper quibus verbis haec ſcribit *Guilielmus E-* *ſtius*

(a) *In* comment. Hiſt. & Dogm. de Sacram. Diſſert. III. cap. IV. art. III. (b) *Anno* MCCV.
(c) *Cap.* Paſtoralis, de Sacram. non iterand.

ſtius(*a*) : *Dicens, non eſſe iterandum, ſed ſupplendum, planè ſignificat, fuiſſe Sacramentum, & proinde Chriſma; quatenus Balſami admiſtionem includit, non fuiſſe ad ejus ſubſtantiam neceſſarium; alioquin enim iterandum fuiſſet, quod priùs factum non ſubſiſtebat: ſicut eſſet iterum baptizandus, qui non in aqua, ſed in vino fuiſſet baptizatus.*

Immo & Canoniſtae non pauci, olim hanc Unctionem ad Confirmationis Sacramentum neceſſariam & eſſentialem non eſſe, putabant; ut refert *Petrus Cardinalis Aureolus* (*b*) : inquit enim, ſuis temporibus gravem fuiſſe inter Theologos & Canoniſtas ea de re controverſiam: *Tenent enim*, ita ſcribit (*c*) *Theologi, quòd Chriſma eſt de eſſentia Sacramenti, ſicut aqua eſt de eſſentia Baptiſmi, & tunc dicunt conſequenter, quòd Papa non poteſt immutare, faciendo, quòd hoc Sacramentum fieret in alia materia. Brucardus autem, & alii Doctores Canonici tenent*

(a) *In* IV. Sentent. diſt. VII. §. VIII. (b) *Flor. ſeculo* XIV. *anno* MCCCXXI. (c) *In* IV. Diſt. VII. quaeſt. I.

80

nent oppoſitum, & quòd Papa ſimiliter poſſet diſpenſare: & eorum motivum eſt, quia, quòd in tali materia fieret Sacramentum Confirmationis, non fuit traditum a Chriſto, nec ab Apoſtolis praeceptum obſervari, ſed fuit ſtatutum ab antiquis Conciliis; talia autem immutari poſſunt auctoritate Papae. Et quamvis ipſemet *Aureolus* hanc Canoniſtarum ſententiam cum Theologorum dogmate conciliare conetur, eam autem uſqueadeo non refellit, ut in illa ſua conciliatione idem ferè docere videatur: ſtatuit enim disertè *l.c. Chriſma non aliter eſſe de ſubſtantia hujus Sacramenti, quàm manum eſſe de ſubſtantia hominis: nam ſicut homo carens manu, eſt quidem homo, tamen non integer; ſic in Confirmatione, ſi non adhibeatur Chriſma, eſt quidem Sacramentum, non tamen integrum*. Et *Conink*(a) ex *Marſilio*(b) idem, quod *Aureolus* narrat: *docuiſſe nimirum olim quoſdam Canoniſtas, ſufficere ad eſſentiam hujus Sacramenti ſolam impoſitionem ma-*

(a) *De* Sacram, qu. LXXII. Afsert. II. dub. I.
(b) *In* IV. qu. V. art. I.

manuum ſine ulla unctione. Hinc *Eſtius in IV. Diſtin.* VII. §. VII. ait: *Communiorem eſſe ſententiam, Apoſtolos initio ſuae praedicationis non uſos fuiſſe Chriſmate in adminiſtratione hujus Sacramenti;* proptereaque probabile putat, *eodem tempore manus impoſitionem locum materiae tenuiſſe, orationem locum formae; idque,* ſubjungit, *Decreto Florentino congruere,* in quo legitur: *quòd loco illius manus impoſitionis, per quam Apoſtoli dabant Spiritum-Sanctum, in Eccleſia datur Confirmatio* (a). Id, quod etiam innuit *Synodus Moguntina* (b) *cap.* XVIII, in quo Eccleſiarum Rectoribus injungit, *ut diligenter populum inſtruant, cur hoc Sacramentum, ab initio ſola manuum impoſitione exhibitum, mox ſub ipſis temporibus Apoſtolorum ex eorum traditione, adhibita Chriſmatis Unctione, coeperit conferri.*

Inſuper, commiſtionem Opobalſami cum oleo in Chriſmate eſſe tantùm de ne-

(a) *Vide tamen, quae in praedictum locum* Eſtii *eruditiſſimus* Anonymus *adnotat in Editione Neapolitana, quae nuper prodiit; necnon Autores, quos ibidem laudat, ea de re fusè pertractantes.*

(b) *Celebr. Anno* MDXLIX.

neceſſitate praecepti Eccleſiaſtici, conſtat etiam : quia SS.PP. materiam Sacramenti Confirmationis frequenter oleum ſimpliciter adpellant, ut *Tertullianus*(a), *S. Auguſtinus* (b), & alii : Opobalſamum itaque non cenſebant ad eſſentiam Sacramenti neceſſarium.

Nec verba, quae profert Epiſcopus inungendo in fronte Confirmandum, *Chriſmo te Chriſmate ſalutis*, poſtulant, ut Opobalſamum oleo ſit admiſtum, ut eorum conſtet veritas, quaſi ſine hac admiſtione Chriſma non eſſet : nam *Chriſma* in genere Unctionem, ſeu Unguentum ſignificat. Unde & *Innocentius I. in Epiſt. ad Decentium, Euglibinum Epiſcopum* (c), Oleum Infirmorum, cui Opobalſamum non admiſcetur, *Chriſma* vocavit; & *S. Auguſtinus lib.* XVII. *de Civit. Dei, cap.* X. ait : *In Veteri Teſtamento Reges* Chriſti *vocabantur, Chriſmate illo myſtico conſecrati* : ubi nomine *Chriſmatis*, oleum merum, quo Re-

(a) Lib. I. cont. Marc. Haer. cap. XIV. *quos libros, qui ſunt* V, *anno* CCVII *poſt ſuum lapſum ſcripſit* Tertul.
(b) Lib. XV. de Trinit. cap. XXVI, -- Lib. V. contra Donatiſtas cap. XX. -- Tract. CXVIII. in Joan.
(c) *c. an.* CDXVII, *vel* XVIII. *juxta* Greg. Holoand.

Reges olim inungebantur,ſignificat. Plura circa hanc controverſiam lege apud laudatum *Eſtium l.c.*, *Cajetanum*(a), & *Dominicum Sotum* (b).

Quod ad praefatam verò Confirmationis formam adtinet,in qua Chriſma *ſalutis* adpellatur,eſt advertendum contra Calvinum, quod egregiè notat *Lindanus* (c), Chriſma ſalutis dici, *non quòd Eccleſia Spiritus-Sancti diſcipula opinetur citra illud*, nempe Confirmationis Sacramentum, *nemini ſalutem poſſe conſtare;ſed tantùm. quòd eam haut mediocriter promoveat, juvet, atque perficiat. Sicuti ſalutem a Chriſto in Baptiſmate acceptam, Epiſcopus ſui officii, nominiſque memor, docendo, exhortando, gregique invigilando promovet, conſervat, atque adauget, ſi D.Paullo credimus, qui & Timotheum ſe ſe, ſuoſque ſalvos facturum citra omnem Chriſti Salvatoris injuriam affirmat I.Timoth. IV. Quid quod Divus Paullus tot adeo locis ſibi alio-*

(a) III. part. quaeſt. LXII. art. I. & II.
(b) In IV. ſent. Diſt. VII. quaeſt. un. art. II.
(c) *Panopliae Evang.* lib. IV. cap. XXXIII. in fine.

84

aliorum adtribuit ſalutem: ſi quomodo eorum aliquos ſalvos faciam. Rom.II. ita *Lindanus.*

Chriſma verò ex Opobalſamo & oleo confectum, tum apud Occidentales, tum apud Orientales peculiari benedictione ab Epiſcopo conſecratur, qui Ritus antiquiſſimus eſt, cujus nullum reperitur initium, ut ſcribit praelaudatus *Gaſpar Juenin l.c.* Unde, ex Apoſtolica traditione illum nos habere, dicendum eſt; ut innuit *S.Baſilius lib.de Spiritu-Sancto*, *cap. xxvii. Benedicimus,*inquit, *Baptiſmatis aquam, & Unctionis oleum: quibus verò ſcripturis edocti? nonne in ſecreta, & ſilenti traditione?*

Erravit ergo *Theodorus magnae Eccleſiae Conſtantinopolitanae Lector* (*a*) ſcribens, Petrum Fullonem, qui circa Annum CCCCLXXI aetatem agebat, & Eutychianam Haereſim profeſſus eſt, Synodumque Chalcedonenſem II, & Oecumenicam IV (*b*) impugnavit, inſti-

tuiſ-

(a) *Flor.ſeculo VI. circa ann.DXVIII.* Lib.11.*ſuae Hiſtor. Eccleſ.*

(b) *Celebr. Anno CDLI.ſub Leone Primo Pont.*

tuiſſe, ut Sacrum Chriſma in Eccleſia coram omni populo conſecraretur; niſi forte ejus verba, ut advertit *Edmundus Martene* (*a*), non de conſecratione ipſa Chriſmatis, ſed de conſecrationis publica ſolennitate, intelligi poſſint.

Ex hac Chriſmatis benedictione, ſeu conſecratione *Alexander de Hales* (*b*) *in ſua Summa Theologiae*, Confirmationis Sacramentum de illorum numero a Chriſto Domino inſtitutorum non eſſe, praeſertim probare conatur: Haec enim fatetur *P.IV. q.IX. memb.I. art.I. Chriſma ideo ab Epiſcopo conſecrandum eſſe, quia non eſt a Chriſto inſtitutum, neque a Chriſto vim accepit.* Et clariùs *l.c. memb.* I. adſerit: *Hoc Sacramentum non fuiſſe a Domino inſtitutum, nec diſpenſatum, neque ab Apoſtolis: Apoſtolos enim in Con-*

(a) *In* Tract.de Antiq.Eccleſ.Diſcipl.in Divin.celebr.officiis, cap.XXII.§.III. (b) *Flor.ſeculo* XIII. *circa an.MCCXXX. ſuam Theologicam ſummam* Innocentii IV. *Pontiſ. juſſu ſcripſit, ut refert* Bellarminus lib.de Script.Eccleſiaſt. *illamque deinde* Alexander Papa IV. *Diplomate, & LXX. Virorum Eccleſiaſticorum Syngraphis comprobavit, ut ſcribit* Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro.

Confirmatione uſos eſſe ſola impoſitione manuum ſine Sacramento: ſed poſtea inſtitutum eſſe hoc Sacramentum in Concilio Meldenſi (a), *quantum ad formam verborum, & materiam elementarem, eique Spiritum-Sanctum contuliſſe virtutem ſanctificandi*. Et *memb.* II. *art.* I. §. I. in Reſol. ſubjungit: *Ut igitur in hoc Sacramento eſſet aliquid materiale, figurans rem illius, ſicut in aliis Sacramentis, conveniens fuit, ut forma Apoſtolorum mutaretur*. Et rurſum eod. art. §. III. dicit: *Chriſtum hoc Sacramentum non inſtituiſſe, nec ei vim dediſſe*. Cui ſententiae ejus diſcipulus S. *Bonaventura* conſentit adſerendo (*b*): *Chriſtum non inſtituiſſe hoc Sacramentum Confirmationis, neque viventibus adhuc Apoſtolis inſtitutum eſſe, ſed poſt obitum Apoſtolorum materiam & formam hujus Sacramen-*

(a) *Celebr. anno* DCCCXLV. *Kal. Junias ſub Sergio* Papa II. Sotus *autem in* IV. Diſt. VII. art. I. *refert, Alios Doctores Aurelianenſi Synodo hanc inſtitutionem tribuiſſe; non exprimit tamen, in qua ex quinque Aurelianenſ. Synodis, quae omnes ſeculo VI. celebratae fuerunt, id ſtatutum fuiſſe Scriptores adſerant*.

(*b*) *In* IV. ſent. Diſt. VII. art. I. qu. I. & II.

menti ab ipſis Eccleſiae Rectoribus, dictante Spiritu-Sancto, inſtituta eſſe. Jacobus verò *Cardinalis a Vitriaco* (a) *in Hiſt. Occidentali cap.* XXXVII, de Confirmatione verba faciens, parum ab *Alexandro*, & S. *Bonaventura* diſſentit. Haec enim loco relato ſcribit: *Hoc Sacramentum inſtitutum eſt partim ab Apoſtolis, quantum ad manus impoſitionem, partim ab Eccleſia, quantum ad Unctionem Chriſmatis, quod non legimus Apoſtolos feciſſe.* Et *Petrus Cardinalis Aureolus* (b) tametſi interdum aliter vel definiat, vel certè definire videatur, idem, quod *Jacobus a Vitriaco*, his verbis ſcripſit (c): *Iſta Unctio per gratiam, quae eſt deſcenſus Spiritus-Sancti in ſuis donis, in primitiva Eccleſia, ſcilicet tempore Apoſtolorum, communiter fiebat in duobus ſignis, ſcilicet in apparitione ignis deſcendentis, & dono linguarum: Eccleſia ergo, quia non ſemper potuit talia habere ſigna, icciro congruè inſtituit ſigna communia pro omni tem-*

(a) *Flor. ſeculo XIII. circa ann. MCCX.*
(b) *Flor. ſeculo XIV. circa ann. MCCCXXI.*
(c) *In* IV. Diſt. VII. qu. I. art. un. prop. I.

Digitized by Google

88

tempore, illis ſignis correſpondentia; talia ſunt oleum, & Balſamum. Ex quibus patet, ipſum quoque, quantum ad Chriſmatis Unctionem, Eccleſiae tribuiſſe hujus Sacramenti inſtitutionem. Horum forte Doctorum opinionem ſecuta eſt una ex antiquis Synodibus Beneventanis Provincialibus(a), in ea quippe haec habentur: *Quinque verò de dictis Sacramentis ab ipſo Deo inſtituta fuerunt, ſcilicet Baptiſmus, Sacer Ordo, Euchariſtia, Poenitentia, Matrimonium: alia verò, ſcilicet Confirmatio, Extrema Unctio, fuerunt Divino inſtinctu ab Apoſtolis introducta.*

At verò tantorum pace Doctorum cum Univerſali Eccleſia fatendum eſt, praefatum Sacramentum, ſicut & cetera, a Chri-

(a) *Concilium Provinc. Beneventanum VI. habitum menſe Aprilis MCCCLXXIV. ſub* Ugone Guidardio *Archiep. hujus nominis II.* Tit. III. cap. II. *ut legitur in Synodico Sanctae Beneventanenſis Eccleſiae, cura, labore, & ſtudio* Fr. Vincentii Mariae Ordinis Praedic. Card. Urſini Archiep. *collecto, & notis illuſtr. fol. LXXXV. ubi ad praefata verba in margine notat:* Juxta opinionem Antiquorum loquitur hoc Concilium, quia aliàs contrarium deffinitur in Concilio Tridentino, &c.

Digitized by Google

89

a Chriſto Domino fuiſſe inſtitutum; ejuſque uſum, ut ex Traditione accepimus, ab Eccleſiae incunabulis ad hanc uſque aetatem perduraſſe, ut fusè contra *Dallaeum* oſtendit praeclariſſimus *Natalis Alexander in ſua Hiſtor. Eccleſiaſt.* (a). Quando autem a Chriſto fuit ordinatum, inter ſe variant Doctores: nobis tamen adridet modoſati *Gaſparis Juenin* ſenſus, qui *l.c. Diſsert.* III. *qu.* IV. probat poſt Reſurrectionem à Chriſto Domino fuiſſe inſtitutum, cui etiam videtur adſentire *Natalis Alexander l.c.* & in ſua *Theol. dogm. & morali* (b), ubi haec ſcribit: *Confirmationem à Chriſto fuiſſe inſtitutam, non ab Apoſtolis, aut ab Eccleſia: quia inſtituere novum Sacramentum, inquit S. Thomas, pertinet ad poteſtatem excellentiae, quae competit ſoli Chriſto. Inſtituit autem in ultima Coena, Spiritum-Sanctum Apoſtolis promittens, eoſque Ritum hujus Sacramenti docens: SIVE POST RESURRECTIONEM, loquens cum Apoſtolis de Regno Dei, ac*

C idem

(a) *Seculo II.* Diſſert. x. (b) Lib. II. Tract. III. cap. I. prop. un. in reſponſ. ad I. object.

Digitized by Google

90

idem promiſſum confirmans , quamvis iſtud Sacramentum *per ſe ipſum non adminiſtraverit , ſicut Eucbariſtiam , & Ordinem . Hic Sancti Thomae ſenſus eſt, cum ait : Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum non exhibendo, ſed promittendo, ſecundùm illud Joannis* XVI: *Si non abiero, Paraclетus non veniet ad vos . Et hoc ideo , quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus-Sancti , quae non erat danda ante Chriſti Reſurrectionem & Aſcenſionem , ſecundùm illud Joann.* VII. *Nondum erat Spiritus datus , quia Jeſus nondum erat glorificatus.* Videatur etiam quid ſuper hoc ſcribit doctiſsimus *Eſtius in* IV.*diſt.*VII.§.IV. ubi magis S.*Thomae* ſenſum dilucidat.

Ex benedictione item Opobalſami & Olei non poteſt inferri , propterea non eſſe Confirmationis Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum . I, quia etiam Panem in ultima Coena, antequam in ſuum Corpus tranſubſtantiaret illum Chriſtus Dominus, benedixit, ut ex *Evangel.* habemus(*a*), nec ideo negatur, vel negari poteſt

(a) Matth. XXVI. 26. Marci XIV. 22.

teſt, Euchariſtiam eſſe Sacramentum a Chriſto inſtitutum, quia etiam nunc a Sacerdotibus ante Conſecrationem Panis benedicitur ad Chriſti imitationem.

II, quia, ut egregiè probat praefatus *Gaſpar Juenin l.c. Diſſert.* III. *cap.* v. *art.* II. Chriſmatis conſecratio, ſeu benedictio, non eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ſed Eccleſiaſtici tantùm praecepti: ex nullo enim Patrum textu evinci poteſt, Chriſma commune, ſeu non conſecratum, Sacramentum non eſſe ſatis; ſi tamen cum manuum impoſitione, quae eſt inadaequata Confirmationis materia, coniunctum ſit. Inſuper ex nullo capite poteſt colligi Divinum de Chriſmate conſecrando praeceptum: non quidem ex illius antiquitate, cum, admiſtionem aquae cum vino in Altaris Sacrificio ſemper & ubique adhibitam fuiſſe, exploratum ſit; & tamen ex univerſali & perpetuo illo uſu, eam a Chriſto praeceptam fuiſſe, nemo Theologus concludit. Tandem cum omnia Graecorum *Euchologia*, ac Latinorum *Pontificalia*, eam, de qua agitur, Chriſmatis conſecrationem praecipiant; jure ſal-

Digitized by Google

92

tem Eccleſiaſtico neceſſaria ſit, oportet. Haec *Juenin*.

Quare autem Chriſma conſecretur, rationem adſert *Optatus Milevitanus* (a) *lib.*VII.*adverſus Donatiſtas*: *Ut*, ſcilicet, *Oleum Confirmatorium per preces virtutem ex Chriſti meritis accipiat.*

Tandem ſciendum, hoc Confirmationis Sacramentum inſtitutum fuiſſe, ut Spiritus-Sanctus ad robur conferatur, quo inſtructi hoſtibus Fidei, tum internis, tum externis intrepidè obſiſtamus. Hinc *Petrus Daniel Huetius* ſcribit (*b*): *ex Unctione, firmandis infantium & pugilum* cor-

(a) *Floruit ſeculo IV. circa an.* CCCLXVIII, *& Milevitanam Eccleſiam in Numidia rexit ſub Valentiniano & Valentino Princ. Praefatum* VII. *librum adverſùs Donatiſtas, nonnulli ejus non eſſe ſuſpicantur, ex eo quia* Hieronymus, *non niſi ſex contra Donatiſtas libros ab* Optato *ſcriptos, memorat; quin & ipſemet* Optatus lib.I. *propoſiti ſui rationem reddens, ſe rem ſex libris abſoluturum eſſe promittit. Inſuper quia praed.* VII. lib. *longè à praecedentibus ſtylo diſcrepat, & contraria nonnumquam dogmata in medium producit: unde antiqui quidem, ab* Optato *tamen diverſi, autoris opus eſſe cenſent. Alii verò ejus fuiſſe putant, aliquandiu tamen poſt ſex priores libros ab eo elucubratum.*

(b) *In Alnetanis quaeſt.* de Concordia rationis, & fidei, lib. II. cap. XX. n. I.

corporibus adhiberi ſolita, provenit Chriſma Sacrae Confirmationis, quo delibuti Chriſtiani adversùs Dei hoſtes invicti ſtare poſsint. Deinde ſubjungit(*a*), *Uſum liniendorum infantium & pugilum, roborandi corporis cauſsa, in Sacramentum Confirmationis mutavit Deus. Notatus eſt a Galeno* (*b*) *mos ille ungendorum infantium pugilum ab omnibus. Ceterùm in Sacris Mithrae, frontes initiatorum Religionis cauſſa fuiſſe ſignatas, teſtatur Tertullianus* (*c*) *: nunc quoque ſolenni quodam Confirmationis Ritu pueros ſeptennes legi ſuae mancipant Perſae cultores ignis: teneros ipſos infantes Brachmanes, litis Sacra Unctione frontibus*.

Faceſſant verò Blaterones Heterodoxi (*d*), qui Cacodaemonis afflatu dicere auſi ſunt, praefatam doctrinam de Spiritus-Sancti acceptione per Sacram Chriſmatis Unctionem, manuumque impoſitio-

(a) Num. 11. (b) De Valetud. lib. 1. & 11.
(c) Lib. de praeſcript. Haeret. cap. XL, *quem poſt lapſum ſcripſit, circa ann. nempe CCVII.*
(d) Martinus Chemnicius in Exam. Concilii Trident. ad Examen Canon. de Confirmatione.

tionem ex *Montanici Paracleti* ſchola prodiiſſe: eo quia illud, quod *Tertullianus lib. de Baptiſmo adverſùs Quintillam* ſcribit (a), Montanicum eſſe velint: inquit enim, ajunt, eos, qui baptizantur in aquis, non conſequi Spiritum-Sanctum; ſed in aqua mundatos ſub Angelis tantùm praeparari Spiritui-Sancto, qui demum, poſtquam egreſſi ſint de lavacro, per benedictam Unctionem & impoſitionem manus advocetur & invitetur. At quàm inepta ſit hujuſmodi obſervatio, cuilibet ſanae mentis manifeſtum eſt. Quis enim umquam in Catholica Eccleſia

(a) Tertullianus *ad* Montani *dogma prolapſus eſt in ſeculi II. exitu, circa ann ſcilicet CXCIX, ut advertit* Cave. *Praefatum autem de Baptiſmo librum ante lapſum ſcripſiſſe, Eruditi omnes fatentur. Hinc in edit. Operum ejus, juxta* Pamelii, *aliorumque correctionem, cum notis ex* Salmaſio, Rhenano, *aliiſque deſumtis, in* not. *ad* cap. VII. *laudati libri, ut ad Catholicum ſenſum ea, quae ſcribit, avocentur, legitur*. Chriſmatis multiplex notio in Scriptoribus; alii de Confirmatione, quae ab Epiſcopo tantùm adminiſtratur in Eccleſia Latina; alii de Unctione, quae fit, ubi parvulus baptizatur, intelligunt. De poſteriori hac Unctione locus hic accipitur, quae fit a Sacerdote in vertice: cum alia, ſeu Confirmatio, ab Epiſcopo fiat in fronte.

Digitized by Google

ſia docuit per Regenerationis & Renovationis lavacrum non effundi, & quidem opulentè, Spiritum-Sanctum? Id enim ſatis conſtat ex Sacrae Scripturae verbis, *Joan.* III: 5. *Ad Epheſ.* v. 26. ex quibus hoc eleganter probat *Sanctus Hieronymus* (a) *in Dialogo adversùs Luciferianos*. Quid autem efficiat Unctio, & manus impoſitio in Confirmationis Sacramento, docet *Sanctus Hilarius Arelatenſis* (b) *Homilia in Pentecoſtè*. ubi praeadſertam, tametſi ridiculam, difficultatem praevidens, inquit: *Sed quia diximus, quòd manus impoſitio, & Confirmatio ei, qui jam renatus eſt in Chriſto, conferrè aliquid poſſet, forte cogitat ſibi aliquis: Quid mihi prodeſt poſt myſterium baptiſmatis, miniſterium confirmantis? Aut, quantum video, non totum de fonte ſuſcepimus, ſi poſt fontem adjectione novi generis indigemus? Non ita eſt, Dilectiſſimi . . . . . Sic enim exigit milita-*

 ris

(a) *Flor. ſeculo IV. c. an. CCCLXXVIII.*

(b) *Flor. ſeculo V. c. an. CCCCXXX. De hujus S. Doctoris* Homiliis *in ſingulas Anni Feſtivitates, quae inter ejus Opera connumerantur ab Autore, qui ejus vitam deſcripſit, & apud* Surium *extat die* VI. *Aprilis, videſis, quae ſcribunt Eruditi.*

ris ordo, ut, cum Imperator quemcumque in militum receperit numerum, non ſolùm ſignet receptum, ſed etiàm armis competentibus inſtruat pugnaturum: ita in baptizato benedictio illa munitio eſt. Dediſti militem, da ei adjumenta militiae. Numquid prodeſt, ſi quiſquam parentum magnam parvulo conferat facultatem, niſi providere ſtudeat & tutorem? Ita Paracletus regeneratis in Chriſto & Conſolator, & Tutor eſt: ideo dicit Sermo Divinus (a): *Niſi Dominus cuſtodierit Civitatem, in vanum vigilant, qui cuſtodiunt eam. Ergo Spiritus Sanctus, qui ſuper aquas baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad Innocentiam, in Confirmatione augumentum praeſtat ad gratiam*. Ex his ergo patet, alienam prorſus eſſe Catholicae Eccleſiae doctrinam de Spiritus-Sancti receptione per Chriſmatis Unctionem, manuumque impoſitionem in Confirmationis Sacramento, ab illa *Montani* ſectatorum.

Atque haec dicta ſunto de uſus in Sancta Eccleſia in Chriſmatis confectione

Opo-

(a) Pſalm. cxxvi. 1.

Digitized by Google

Opobalſami cum Oleo origine, Unctioniſque cum manuum impoſitione Ritu in Confirmationis Sacramento. Progrediamur modò ad examinandum, cujus ſpeciei Opobalſamum ex iis, quae nunc habemus, ad praefatam confectionem requiratur; & ut recto procedamus ordine, priùs de Opobalſamo in genere, deinde in ſpecie diſſeramus, oportet.

BALSAMUM itaque, Graecis βάλσαμον, quod ad ejus etymon ſpectat, cum e Judaea exterae Gentes acceperint, non diſplicet *Joan. Gerardo Voſſio* in ejus Etym. ſic ob praeſtantiam vocari, quaſi בעל שמן *Babbhal Scemen*, ideſt *Princeps*, ſeu *Dominus Olei*. Hoc autem nomine vocatur arbor, cujus ſuccus Ὀποβάλσαμον, *Opobalſamon* dicitur; *ſuccus* nempe, ſeu *liquor olei*: componitur enim ex Ὀπὸς, ideſt *ſuccus*, *humor*, *coagulum*, & βάλσαμον, quod illam arbuſculam deſignat, ipſum Balſami ſuccum producentem; quae arbuſcula, ſeu lignum Balſami ξυλοβάλσαμον, *Xylobalſamon* adpellatur a ξύλον, quod eſt lignum, ut *Servius* (a) & *Iſidorus* (b) monent. Et lingua Punica prae-

(a) Ad II. Georg. (b) lib. XVII. cap VIII.

98

praefatum lignum, ſeu plantam *Baalſamex*, ideſt *Coeli donum* dicitur, ut notat *Ulyſſes Aldrovandus*(a); Fructus verò Balſami Καρποβάλσαμον, *Carpobalſamon* nominatur, ut videre eſt apud *Dioſcoridem*, & *Galenum*.

Haec planta olim tantùm in Judaea reperiri credebatur, ut ſcribit *Plinius* (b): *Balſamum uni Terrarum Judaeae conceſſum eſt, quondam in duobus tantùm hortis, utroque Regio, altero jugerum xx. non ampliùs, altero pauciorum*. Idemque Autor narrat (c), Veſpaſianum Judaea capta, Balſamum numquam aliàs viſam arborem in Triumpho oſtendiſſe, ut erat Romanorum Imperatorum uſus, qui, ſi quid viſendum, & memorabile, atque aevo priore incognitum in devicta Provincia fuiſſet, velut rem ſpectatiſſimam novo invento, unà in Triumphis adferre conſueverant, ut refert *Alexander ab Alexandro lib.VI. Dier. Genial. cap.VI.*

Non aliter ſcribunt etiam *Dioſcorides* & *Theophraſtus*, qui verbis, cum illis *Plinii* ex aſſe congruentibus, utitur. *Juſtinus* item

(a) Dendrologiae lib. I. fol. L. lit. E.
(b) Lib. XII. cap. XXV. (c) Ibidem.

item *Hiſtoric.' lib.xxxvi. c.*iii.de valle Jericho inJudaea verba faciens:*Eſt namq; vallis*,inquit,*quae continuis montibus velut muro quodam ad inſtar Caſtrorum clauditur : ſpatium loci ducenta jugera, nomine arcus dicitur . In ea ſylva eſt, & ubertate , & amoenitate inſignis : ſiquidem Palmeto , & Opobalſamo diſtinguitur* . Inſuper legimus , quòd in frequentibus illis Emporii Tyri nundinis , etiam Balſamum adfluebat ; hocque ex Judaea perlatum , ut ex *Ezechielis* verbis (*a*) obſervare licet : *Júda ; & Terra Iſrael, ipſi Inſtitóres tui in fermento primo Balſamum, & mel, & oleum, & reſinam própoſuerunt in nundinis tuis* . Ubi **LXX** de Balſamo non locuntur ; ſed de μύρων *Unguentis*, & Hebraicus Balſamum hìc פנג *Pannagh* vocavit,uti legitur quoque apud *Joan.Lightfootum in Centuria Chorographica Matthaeo praemiſſa cap.xxxxvii*, in quo de Urbe Jericho löquens ſcribit : *Finiatur bujus Urbis , & loci deſcriptio verbis Talmudicis Babylon.Berachot.fol.*43.1. משחא דאפרסמא *Quanam Orationis forma utuntur ſu-*

per

(a) Cap.xxvii. 17.

Digitized by Google

per Balſamum? Benedictus ſit, qui creavit unguentum Terrae noſtrae, nam enatum eſt Jerichunte, & propter ejus odorem vocata eſt ירחו *Jericho: illud autem eſt Pannag, de quo mentio in libro Ezechielis. Judah, & Terra Iſraelitica, mercatores tui erant in tritico, Minnith, & Pannag. Hoc vidi in libro Joſephi Ben Garion.* Et tandem *Joſeph. lib. VIII. c. VI. Antiq. Judaic.* fatetur: Reginam Sabam, Balſami plantulas inter reliqua dona Salomoni vivas adſportaſſe. Quia autem nonnulli ex Aethiopia, vel ex Aegypto Balſamum detuliſſe credunt praelaudatam Reginam, doctiſſimè advertit *Samuel Bochartus* (a), Balſamum Arabicam eſſe plantam, non Aethiopicam, eo quia nemo eſt, qui Balſami in Aethiopia nati meminerit: & quantum ad Aegyptum, etſi feracem Balſami eſſe *Dioſcorides*, & alii adſerant; indigenam tamen plantam non fuiſſe, ſed aliunde recens advectam,

(a) In Geographia Sacra lib. II. cap. XXVI.

ctam, quo aevo ſcripſit *Dioſcorides*. In Aegyptum itaque, & Judaeam ex Arabia Felici Balſami plantae pervenerunt: unde ibi patrium ſolum earum eſſe, inter Veteres teſtantur *Diodorus Siculus* (a), & *Pauſanias*(b); ex Neotericis verò *Petrus Bellonius*(c), *Andreas Chiocchus*(d), *Joannes Ponas*(e), aliiſque praetermiſſis, *Carolus Cluſius*(f).

Praefatas Judaeae, & Aegypti Balſami plantas, ex quibus verum, & optimum Balſamum fluebat, extinctas eſſe ob Jeruſalem excidia, propterea que nullibi amplius exſtare, non pauci, qui de Balſamo ſcribunt, oſtendere conantur, inter quos praeſertim *Amatus Luſitanus*, & *Nicolaus Monardus* Hiſpanus; qua de cauſſa adſerunt, aliud eſſe Opobalſami genus, quod in Indiis naſcitur, contra quos ſcribit *Proſper Alpinus* in ſuo *Dialogo de Balſamo*, ad quem Lectores remittimus.

Hujus

(a) Hiſtor. lib. xvi. (b) *In Boetica*, (c) Lib. ii. cap. xxxix. *ſuarum Itiner. Obſervat.* (d) *In Deſcriptione Muſaei* Franc. Calceolarii Iunior. cap. de Opobalſamo. (e) Lib. de Balſamo. (f) Exotic. lib. x. cap. ix. in Annot. ad Monardum de Balſamo, pag. cccıv.

Hujus autem Judaici Balſami plantam, praeter vulgares Botanicos, ſingulariter exhibent duo numiſmata, quae proſtant apud clar. *Ezechielem Spanhemium*, quem rectè de his rebus omnigenae eruditionis promptuarium dixeris in ſuo praeclaro opere, cui titulus: *Diſſertationes de Praeſtantia, & uſu numiſmatum Antiquorum* (a), quorum primum eſt Hebraeorum, in quo Balſamicae plantae folia conſpiciuntur, ut in *Fig. I.*

Fig I



Ju-

(a) Tomo 1. Diſſert. VI. pag. cccLX. Edit. Londin. MDCCXVII.

Digitized by Google

Judaei enim ſuae Regionis plantas nativas, & decantatas in nummis excidebant. Ex quo icone liquere videtur, aud malè omnino a *Theophraſto* (a) malo Punicae adſimilari Balſamum; etſi veteres *Rutae*, vel *Amaraci* foliis ſimiles eſſe ſcribant: qua de re tamen, prae aliis naturalis Plantarum Hiſtoriae conditoribus, adiri poſſunt, qui de *Balſamo* ſunt commentati, *Bellonius* nimirum, *Alpinus*, & *Lobelius*.


Secundum eſt Romanum, occaſione Triumphi de Judaea capta ab Imperatore Veſpaſiano Auguſto celebrati, ut paullò ante retulimus, quod Balſami arbuſculam in Quadrigis Triumphalibus thenſae impoſitam ab una parte, ab altera verò Veſpaſiani effigiem inſimul cum neceſſariis Inſcriptionibus oſten-

(a) Hiſt. Plant. lib. IX. cap. VI.

Digitized by Google

ſtentat , ut in *Fig.II.* in cujus tamen

Fig II



numiſmatis notis parumper nos ſiſtere cogunt ſcalptoris menda , eruditae Hiſtoriae & Chronologiae ſeriem maximè conturbantia.

Antica itaque nummi pars, ita , & quidem benè , inſcribitur , *VESPASIA-N*——*us* . *AUG*——*uſtus* .*P*——*ontifex*. *M*——*aximus*. Averſa , ſeu poſtica pars ita: *TR*——*ibunitia* . *P*——*oteſtate IIII*. *IMP*——*erator IIII*. *Coſ*. (ſeu Conſul) *VII*. *P*——*ater*.*P*——*atriae*.Etenim Auguſtus Veſpaſianus Judaeam devicit ſub

ſua

ſua Tribunitia Poteſtate IIII. Anno Urbis conditae DCCCXXIV. ampliſſimumque de ea Triumphum reportavit Anno ſequenti, ſcilicet, V.C.DCCCXXV. Chriſti Domini (vulgari) LXXII. Conſulibus ipſo Auguſto Veſpaſiano IV. Collega filio Tito Caeſare II, ut plurimae conteſtantur antiquae Inſcriptiones & Numiſmata apud *Gruterum*, *Panvinium*, *Pagium*, *Fabrettum*, *Occonem*, *Mediobarbum*, & alios. Itaque rectè in Nummo *TR--- ibunitia P----oteſtate IIII.* quae currere dicto incepit anno, Kal. Julii.

At minùs rectè proſequitur *IMP---- erator IIII.* & quidem convincitur; nam ſub Tribunitia Poteſtate II. in aliquibus dedicatis Inſcriptionibus ante Kal. Julii conjungitur cum nota Victoriae VI, ſeu IMP.VI. cum legamus: *TR. POT. II. IMP. VI. COS. III. DESIG. IIII.* apud *Gruterum pag.* clxxvi. 1. & pariter *pag.* DlxxIII. 1. & in alia: *TRIB. POT. II. IMP. VII. COS. III. DES. IIII.* pag. cclIII. 3. quam, mutilam tamen, retulit *Panvinius in Faſtis*, ex *Smetio*, &

 in

in *Theſauro Antiq.Rom.Tom.x.pag.*xlıx. *lit.B.*

Sub Tribunitia Poteſtate Tertia hac forma Victorias numerabat: *TR. POT.* III. *COS.* III. *P.P. IMP.VIII.* apud *Gruterum pag.*clxxxix. 7.quam & retulit *Panvinius in Faſtis*. In alia: TR. *POT.* III. *IMP.* IIX. *P. P. COS.* III. *DES.* IIII. *Gruterus pag.*ccxliii. 2. & *Panvinius.* In alia: *TR. POT.* III. *IMP. IIX. P. P. COS.* III. *DES.* III. *Gruterus pag.* ccxliii. corrigendum *DES.* IIII. & exſtat in *Theſauro Antiqu. Rom. Tom.*x. *pag.*lxxv.

Jam ergo ſi ſub Tribunitiis Poteſtatibus Secunda, & Tertia, Marmora ſignant Victorias VIII. numero, Veſpaſiani Augusti, perperam praefatus nummus, ſub Tribunitia Poteſtate. Quarta, quatuor tantùm, illis notis *IMP. IIII.* nobis exibuit.

Et quidem potiore ratione idem error apparet ex alia *Gruteriana pag.*ccxliv. 2. ubi ipſa Tribunitia Poteſtas IV. hac Victoriarum nota rectè ſignatur: *P. M. TR. POT.* IIII. *IMP.* VIII. *COS.*IIII. de qua

etiam

etiam videndi *Panvinius*, *Sertorius*, *Urſatus*, & *Fabrettus*.

Alium quoque notiſſimum errorem in Poſtica hujus nummi cernere licet: legitur enim: *COS. VII. P.* P. Et quidem Veſpaſianus Auguſtus ſub Tribunitia Poteſtate Quarta, ut vidimus, Quartum geſſit Conſulatum, non Septimum: Hunc etenim ei obtigiſſe cum Deſignatione Octavi, certo certius eſt, Kalendis Januarii Anni U.C. DCCCXXIX. Chriſti vulgaris LXXVI. Collega Tito Caeſare V. Ex quibus aſſererem, aut nummum ſuſpectum, ideoque inter alios plures hujus Triumphi Judaici non relatum a Comite Mediobarbi, aut detritum, & malè repoſitum, corrigendamque Poſticam Ita: *TR. P.* IIII. *IMP. VIII.* (aut IX.) *COS.* IIII. *P. P.*

In Eruditorum inſuper gratiam, quae de Balſami plantis in Aegypto memoriae prodidit *Petrus Martyr*(a), adferre, e re noſtra eſſe ducimus: ſcribit enim, tamquam teſtis oculatus, ibi fontem exſtare, cujus aqua olim Balſametum rigabatur, in

(a) Lib. III. *Legationis Babilonicae.*

108

quo Chriſtum infantulum a Virgine Matre ablutum fuiſſe, vetus Traditio habet, tam apud Chriſtianos,quàm apud Saracenos. Ad locum (quem noſtra tempeſtate *Mataraeam* Incolae adpellant, ab Urbe *Cairi* paſſuum millia circiter decem diſtantem)eo tempore,quo Balſamum colligebatur, Soldani, relaxandi animi gratia, ſe ſe quotannis conferebant:at nunc id loci deſertum eſt, quia tam pretioſi arbuſta liquoris interierunt;ſed incertum, an Cuſtodum incuria, an fraude, dolove, & invidia,an Religione, & pietate laeſa id acciderit. Quidam enim viridarii Cuſtodes terram, irrigando, male temperaſſe ajunt; ex fonte namque vivo,puteali tamen in eo loco ſcaturienti, aqua hauſta, arbuſta illa rigabantur, & nutriebantur: neque enim ex ſimplici illa materia Balſamum conſtabat,quod non aliter ex perfractis, aut conciſis ramis, per ſtirias, & guttas cadentes colligebatur, quàm ex Vitium putaturis lacrymales guttae cadunt, cum apud nos verno tempore palmites inciduntur: ſed nullam praeterea ejus fontis aquam tranſplantatis Balſami

ar-

Digitized by Google

arbuſtis adhuc, ut naſcerentur, aut adultis, ut coaleſcerent, profuiſſe umquam, longo experimento comprobatum eſt. Immo,& cum in aliud ſolum transferrentur,eadem etiam aqua inde adſportata parum viguiſſe. Rex enim quondam Cyprius, nomine *Jaches Caitbejo*, Soldano permittente, arbuſta pauca, cupaſque ipſas aqua plenas, quibus illa irrigaret, in Cyprum adferri juſſit, ubi neque Balſamum procrearunt, neque frutices diu vixerunt.

Qui fraudem interveniſſe cenſent, ajunt,id factum injectu panni,meſtruo infecti, cujus venenifera vi arbuſta Balſami radicitus enecta fuerint. Aſt qui laeſam pietatem credunt, ita praedicant, inquit *Martyr*. Cautum fuit ſemper priſcorum Regum Soldanorum decreto, ne Judaicae Provinciae quiſquam Balſametum ingrederetur, ne quid ignominioſum in loci Numen perpetrarent, cum in eo fonte parvuli Jeſu,quo tempore in Aegypto latitavit, pannos, quibus involvebatur, Maria Virgo laverit, & ubi arbuſta germinabant, ibi ſoli ſiccandos expo-

Digitized by Google

110

ſuerit: Beatam namque Virginem *Mauri* obſervant, ejuſque nomen religioſiſſimè venerantur. incautos igitur ad cuſtodiam Soldani conſtitutos Oeconomos, Judaeum, qui ſe *Maurum* profitebatur admiſiſſe, inquiunt; Judaeamque Uxorem ſuam, quam intromiſit, parvulum utriuſque filium, linteaque infantuli in opprobrium Matris Chriſti in ipſo fonte immerſiſſe, ac lintea ibidem ſiccanda protendiſſe volunt: quare terram, cujus virtute arbuſta germinabant; fontemque, cujus vigore rigata nutriebantur, poſt contumeliam illico vim ſuam amiſiſſe, inhaeſitanter adſerunt. Utcumque ſit, omnia illa arbuſta radicitus interiere, nec ullum ex eis exſtat veſtigium. Haec M*artyr*, qui initio Seculi XVI fatis ceſſit, de Balſami Aegypti plantis enarrat.

Ex oppoſito verò Illuſtriſſimus Princeps *Nicolaus Chriſtophorus Radzivilus Dux Olicae, & Nieſviſii, Palatinus Vilnenſis*, qui anno MDLXXXII e Polonia egreſſus, Venetiiſque anno ſequenti ſolvens, peregrinationem Jeroſolymitanam iniit, & Aegyptum quoque luſtravit, indicare

care

Digitized by Google

care videtur, Balſami liquorem ferme ad illud tempus,quo in Aegypto erat,duraſſe,ejuſque plantas duos circiter cubitos altas eſſe : immo ſubjungit, in Felici Arabia, Imperatore Solimanno procurante, Balſamum in copia provenire,ex praefato Aegypti Balſameto ut plurimum tranſplantatum : quod tamen a veritate longè abeſt: in Arabia enim , ut ſupra oſtendimus , ne dum Balſami plantae ſemper exſtiterunt; verùm ex eapſe in Judaeam , & Aegyptum translatae fuerunt . *Brendembachius* item Metropolitanae Moguntinae Eccleſiae Decanus in ſuo *Hodaeporico Jeroſolymitano*, qui ſuam ad illa loca peregrinationem ſuſcepit Anno MCCCC LXXXIII, ſcribit, intercetera in Aegypto viſenda , vidiſſe quoque Balſami hortum , qui adhuc odoriferum illum liquorem reddebat; & de fonte, quo plantae irrigantur,idem,quod *Martyr*, refert.

Nec obſervatione indignum eſt , quod tradit *Cardanus de ſubtilitate*,*lib.xvii*. (*a*)circa puteum a praefatis Hiſtoricis memoratum: dicit enim, ex ſola illa aqua Bal-

(a) Edit. Lugdun. MDL.

ſami plantas coaleſcere, eo quia cum puteus ille propinquus ſit Nilo, cujus aqua tenuiſſima eſt, atque aereae ſubſtantiae, eadem imbuta certo bituminis genere, alere propterea eſt apta Balſami arbuſta; non autem alia, niſi conſimilis.

His adde, quod refert D. Oliva de Nantes Sabuco Barrera, ſequioris ſexus in Hiſpania decus(*a*), in ſuo volumine, cui titulus, *Nueva Filoſofia de la naturaleza del hombre no conocida, ni alcanzada de los grandes Filoſofos antiguos* (*b*), Viperas, quae circa Balſami plantas nutriuntur, veneni expertes eſſe, ſuiſque morſibus quemquam non laedere.

Quidquid autem ſit de his, quae huc uſque ſcripſimus, certum eſt, poſtea pluribus in Orbis partibus repertas fuiſſe Balſami plantas, & nunc in utraque India non paucas inveniri, ex quibus Opobalſamum fluit, & ex Indiis in Europam quoque praeſatas plantas delatas eſſe.

Tres

(a) *De praeſatae Hiſpanae mulieris dotibus, ſingularique doctrina, videſis apud* Nicolaum Antonium in Biblioth. Hiſpana, Tomo II. pag. CXXIV.

(b) In colloquio *de la naturaleza del Hombre* Tit. XXXIV.

Tres autem Opobalſami ſpecies ex America hodie ad nos deferuntur, *Peruviana* nempe, *Tolutana*, & *de Copaiba*.

Peruvianum Opobalſamum , vulgò *Indicum nigrum* adpellatum , ex inciſo arboris , quam *Franciſcus Hernandez* (a) deſcribit, cortice ſtillans, colore ruſo ad nigrum vergente , ſapore acri , & amaricante , fragrantique odore . Illud tamen , quod in noſtras Regiones adfertur, ex ramis, & truncis arboris per coctionem extrahi, *Nicolaus Monardus* advertit : id quod etiam notat ſub voce *Baume* Autor Dictionarii Univerſalis, Gallico, latinoque ſermone Sereniſſimi Principis *de Dombes* juſſu editi , his verbis : *Mais les Indiens gardent le natural pour eux, & nous envoyent de l'artificiel , qu'ils ſont en faiſant bovillir le tronc, & les branches hachèes de cet arbre, & en arraſant avec une coquille l'huile, qui nage au deſus de cette decoction, & qui eſt de couleur noire, rougeâtre, & fort odoriferante.*

Tolutanum, ex arboribus Piniformibus cortice vulnerato prodiens, coloris eſt ex-

(a) Lib. III. Hiſtor. natur. Mexic. cap. XI.

Digitized by Google

114

padiceiad aureum vergentis ; mediae inter liquidum,& denſum ſpeciei in principio;poſtea verò ſiccae conſiſtentiae , ſaporis non ingrati , atque odoris excellentiſſimi , quod in nucum Indicarum putaminibus in Europam advehitur , & in Pharmacopeis *Balſamum Hiſpanicum ſiccum* vulgò adpellatur.

Opobalſamum deniq; *de Copaiba, ſubindici albi* epitheto notum eſt , quod etiam ad praecedentium diſcrimen,*Braſilienſe* vocare licet, cum in Braſilia magna ejus copia ex arborum , quas *Georgius Marcgravius* (a) , & *Guilielmus* Piſo (b) deſcripſerunt,ad medullam uſque inciſis, aut terebrà perforatis,corticibus profluat.

Hujuſmodi autem Balſamiferas Indiarum,ſeu Novae Hiſpaniae arbores, trium eſſe ſpecierum , advertit praelaudatus *Ulyſſes Aldrovandus*(c), quarum I. Indigenarum illorum lingua *Hoitziloxitl*,II.*Avaconex*, III.*Mariperda* vocari.

Praeter relatas Opobalſami ſpecies, quae

(a) In Hiſtor.Plantar.l b.III.cap.XVII.
(b) Hiſtor.Natur.& Medic.Indiae Occident.lib.IV. cap.IV. (c) Dendrologiae lib.I. fol.CXVI.lit.E.

quae in celebri volumine, cui titulus *Pharmacopeja Auguſtana renovata* (a), referuntur, aliae duae in Pharmacopoliis inveniuntur. Altera, quae deſtillationis ope educitur, ut ſcribit *Moſes Charas* Medicus-Chimicus Regiae Majeſtatis Angliae(*b*). Altera, quae *Orientalis* nuncupatur, mihique oſtendit praeclariſſimus Vir Fr. Franciſcus Vaſſallus in ſuo Pharmacopolio, quam ex Balſami plantis in *Mecha* Arabiae Felicis Urbe, & Maumethanicae ſuperſtitionis capite exſiſtentibus fluere adſeritur. His notatis ad controverſiae deciſionem deſcendamus.

Et ſanè veroſimillimum, ne dicam certiſſimum eſt, quòd ſi adtendamus verba *S. Gregorii Magni* Pontificis, qui, ut oſtendimus, illo ſeculo in vivis erat; quo uſus in Eccleſia incepit admiſcendi Opobalſamum cum oleo in Sacro Chriſmate conficiendo, Judaicum Opobalſamum praeciſè in dicta confectione neceſſarium eſſe, dicendum ſit: nam, ut ſupra retulimus, praelaudatus Pontifex in *caput* 1.

D 6 *Can-*

(a) Auguſtae Vindelicorum an. MDCCX. edita.
(b) Tom. III. ſuor. Oper. cap. xx.

Digitized by Google

Cantic. ſcribit: *In Engaddi Balſamum gignitur, quod cum oleo* Pontificali *benedictione Chriſma efficitur, &c.* Id etiam in dictum *cap. Cantic.* repetit *Venerabilis Beda*. Eſt autem *Engaddi*, ut ex *Hieronymo* refert *Carolus Stephanus*(a) *Vicus praegrandis Judaeorum juxta mare mortuum: unde Opobalſamum venit, quas Vineas Engaddi* Salomon *in Canticis nominat*. Et idem alibi: *Engaddum ager eſt Terrae Judaeae, non tam Vineis, quàm Balſamis florens*. Idemque ſcribit *Simonius* in ſuo magno Bibliae Dictionario, Gallico ſermone edito, verbo *Engaddi*.

In hujus Engaddi deſerto David ſe abſcondit, ut I. *Reg. xxiv.* legitur. Quae vox, ut praeſtantiſſimus vir *Joannes Clericus* in exquiſitis animadverſionibus ad *Onomaſticon Urbium, & locorum Sacrae Scripturae a Jacobo Bonfrerio editum* (b), innuit, *Oculum baedi* ſignificat, vel etiam *fontem*, aut *oculum inciſionis*, a re ipſa inditum nomen: *ibi enim*, inquit, *Balſami ſurculus vitro, oſſe, vel ebore incidebatur*

(a) In ſuo Dictionar. Hiſtor. Geogr. & Poet. ver. *Engaddi*. (b) *Amſtelaedami MDCCVII.*

Digitized by Google

tur, non ferro, & e ruptura, vel e fonte, vel oculo pretioſiſſimus ille, & odoratiſſimus Opobalſami liquor fluebat.

Idem etiam de Balſami plantarum inciſionis inſtrumento referunt *Chriſtianus Adricomius* Delphus in ſuo Theatro Terrae Sanctae, ſub verbo *Engaddi, num.* CXVI. & *Claudius Salmaſius* in Plinian. Exercitat. in Caji Julii Solini Polyhiſtora *cap. xxxv*, qui ex Solino ſcribit: *Vitro, aut cultellis oſſeis incidi.* deinde pergit: *Plinius addit, aut lapide. Tacitus, fragmine lapidis, aut teſta aperiuntur. Joſephus,* ὀξέσι λίθοις. Et tandem animadvertit, Balſamiferas plantas ferrum reformidare, & ferro etiam attrectatas protinus mori.

Theophraſtus verò, & *Dioſcorides*, ferreis unguibus Balſami arbores ſcalpi, ſeu incidi, adſerunt: id, quod etiam *Claudianus* in *Epitalam. Palladii* innuit:

> *Gemmatis alii per totum Balſama tectum*
> *Effudere cadis, duro qua ſaucius ungue*
> *Niliacus pingui deſudat vulnere cortex.*

Ho-

Digitized by Google

Horum autem opiniones ex *Rader.* in notis ad *Martial.Epigr.*LIX. *lib.*XIV. ſic conciliare conatur *Henricus Salmuth* in comment.ad *Guidonis Pancirolli Rerum memorab. ſive deperdit. librum*: ſcribit enim, *Solinum*, & *Tacitum* intelligi debere, cum, detracto jam cortice, ipſa nuda arbor remanet, ſicque ferro violatur; *Theophraſtum* verò, & *Dioſcoridem* de cortice abradendo intelligendos, quod ferreis unguibus fieri neceſſe eſt.

His tamen non obſtantibus adſerendum eſt, modofatos Sanctos Doctores ideo de Judaico Opobalſamo ad Chriſmatis confectionem locutos fuiſſe, quia, ut rectè *Sambovius* advertit, *ſoli Judaeae conceſſas Balſami arbuſculas olim credebatur*: deinde verò cum alibi, & praeſertim in utriuſque Indiae Regionibus repertae ſint, ex quibus, quod exſudat, ad noſtras adſportatur; & Judaicum Opobalſamum, ut non pauci memoriae tradiderunt, deperditum ſit; noſtris propterea temporibus ad Chriſma conficiendum Indico uti debemus.

Bo-

Bonacina autem(*a*) docet, *Remotam Sacramenti Confirmationis materiam eſſe Chriſma, quod conficitur ex oleo olivarum admiſto Balſamo, cujuſcumque loci ſit*. Et *Conrinchius* (*b*) ſcribit: *Nota demum, ad eſſentiam Sacramenti Confirmationis nihil referre, an ſit Balſamum* Pa*laeſtinum, an Indicum: ſicut non refert ad conſecrationem, ſitne vinum Rhenanum, an Graecum; rubrum, an album; etiam ſi fortè haec ſpecie differant: Unde patet*, Paullum III, & Pium IV. *non diſpenſaſſe cum Indis, (ut quidam putant) ut liceret iis Balſamo Indico conficere Chriſma; ſed tantùm definiviſſe, illud Balſamum eſſe veram, & ſufficientem materiam ad conficiendum Chriſma*.

Mihi tamen, ut verum fatear, tam facilis, & indiſtincta locutio praelaudatorum Doctorum, hac in re ſtabilienda, non adridet: in Sacramentis enim conficiendis, tutioribus ſemper materiis uti debemus, quaeque magis ad myſteria exprimenda ſint aptae, juxta eorum inſtitutionem;

&

(a) Tom. I. de Confirm. diſp. III. q. un. pun. III. pr. I
(b) De Sacram. qu. LXXII. art. III. dub. I. n. XL.

& quod praeſertim adtinet ad Confirmationis Sacramentum, conformari, quantum poſſibile eſt, nos debemus in Chriſmate conficiendo, quod eſt ejus materia remota, ut Doctores loquntur, ad uſum illius aevi, quo Sancta Eccleſia Opobalſamum cum oleo miſceri decrevit. Cum itaque ex S.*Gregorii*, & *Bedae* verbis Judaicum Opobalſamum, quod verum & optimum ab omnibus Scriptoribus adſeritur, illo tempore fuiſſe neceſſarium, colligimus; ſi praefatum habere ampliùs non poſſumus, de illis ſpeciebus, quae nunc apud nos ſunt, meliorem, Judaicoque conformiorem eligere oportet; ut conſtat etiam ex eo, quod legitur in *lib. de Divin. Officiis*, *Alcuino* adtributo, in quo habetur: *Conficitur Chriſma ex oleo mundiſſimo, &* OPTIMO BALSAMO. Quapropter adcuratè ſcribunt complures Doctores, *Paulum III*, *&* *Pium IV*. verè cum Indis diſpenſaſſe, ut in Chriſmate conficiendo Indico Opobalſamo uti poſſent, ſicut hodie & nos, in Judaici locum.

Dicimus ergo, ut Chriſma ritè conficiatur, ex illis tribus Opobalſami ſpeciebus,

quae

quae nunc ex Indiis advehuntur, ſecundâ, *Tolutana* nimirum, quae in nucum Indicarum putaminibus in Europam defertur, uti debent Sacri Praeſules.

Et ratio evidentiſſima eſt, quia Opobalſamum ad Sacrum Chriſma conficiendum debet eſſe optimum,& non miſtum, odoriſque ſuaviſſimi, juxta illud *Eccleſiaſtici xxiv. 21. Quaſi Balſamum non miſtum odor meus*, propter myſterium in eo expreſſum: denotat enim, Fideles, quum Sacramento Confirmationis perficiuntur, ut jam non ſibi ſingulariter vivant, eam virtutum omnium ſuavitatem effundere oportere, ut cum *Apoſtolo* dicere poſſint(a),*Chriſti bonus odor ſumus*, ut ſupra etiam diximus. At primae ſpeciei Opobalſamum,nempe *Peruvianum*,quia, ut retulimus, per coctionem extractum ad noſtras pervenit Regiones, verè Opobalſamum dici non poteſt: Opobalſamum enim ſincerè adpellatur, juxta ejus etymon, quod ex Balſami plantis inciſis naturaliter profluit. Cum ergo praedictum ex ramis, & truncis per coctionem extraha-

(a) II.Corinth.II. 15.

Digitized by Google

hatur, genuinum Opobalſamum non eſt, ſed Balſami decoctum, adulterationis non parum ſuſpectum, ut advertit etiam *Proſper Alpinus in ſuo Dialogo de Balſamo.* Inſuper praefatum decoctum, nec Opobalſami habet colorem, cum ſit niger, qui color in Opobalſamo, ut ſcribit idem *Alpinus l.c. Numquam ab aliquo noſtrorum, vel Arabum viſum eſt, neque auditum.* & paullò poſt ſubjungit, *Illum etiam ſuccum nigri coloris, qui ab Occidentalibus Indiis defertur, impropriè Opobalſamum vocari.* Et rationem adfert: *quia in Occidentalibus* Indiis *ex procera, & magna arbore naſcitur, quae quidem magnitudine, figura, ramis, foliis, fructibus, a vera Balſami arbore longiſſimè differt.* *Plinius* item (*a*) nigri coloris Opobalſamum, peſſimum adpellat, atque, ut oleum ſeneſcere, ſcribit. Sive ergo praeadſertum Opobalſamum nigri coloris ex coctione confectum ſit, ſive ſit ſuccus, ſuſpectiſſimum eſt, ac proinde nullimode ad Chriſma rite conficiendum aptum, & decens eſt.

Quan-

(a) Lib. XII. cap. XXV.

Quantum ad tertiam adtinet ſpeciem, ad illam nimirum *de Copaiba*, ſeu *Braſilianam*, non eſt ſuſpicionis undequaque expers. I, quia praedictum Opobalſamum ex arboribus in Braſilia exſiſtentibus, & ad medullam uſque inciſis corticibus in magna copia profluit, ut ſcribunt ſupracitati *Marcgravius*, & *Piſo*, & exprimit quoque praelaudatus *Autor Dictionarii univerſalis, &c.* his verbis: *Ce baume eſt fort clair, de la conſiſtence, & de l'odeur de l'huile de therebentine diſtillèe: on en tire quelque fois juſq' a douze liure dans l'eſpace de trois heures*. Cum *Dioſcorides* (*a*) referat, ex Balſami plantis, quae in Judaea, & Aegypto oriebantur, & genuinae ab omnibus agnoſcuntur, aeſtivis ſub ortum Canis ardoribus, ferreis unguibus inciſis, *tam exiguo ſtillatu ſuccum*, ſeu Opobalſamum, *manare*, *ut annis ſingulis ne plures quidem*, *quàm ſeni*, *ſeptenive congii cogantur*, *inibique pondus duplo rependitur argento*. II, quia in eo Opobalſamo nullam agnoſcit ex qualitatibus genuini, quod in Arabia gignitur (& idem eſt

(a) Lib. I. de Medicinali Materia, cap. XVIII.

Digitized by Google

eſt cum Judaico, & Aegyptiaco) *Joannes Veſlingius* in *Vindiciis Opobalſami*. Quapropter ſcribit, ex tribus adſertis Opobalſami ſpeciebus, ſecundam tantùm, illam nempe, quae in nucum Indicarum putaminibus advehitur, praecipuè cum Arabico, & conſequenter cum Judaico cognationem habere. Et quidem, tametſi Tolutanum Opobalſamum omnia ad unguem non habeat Arabici, vel Judaici Opobalſami accidentia; quod ad colorem tamen adtinet, mellei nimirum obſcurioris, ut ſcribit *Alpinus*; & quod ad ſaporem non ingratum, modicè ſcilicet guſtum mordentis, ut advertit *Dioſcorides*; & tandem quod ad odoris ſuavitatem, & excellentiam, cum Judaico valde convenit, atque inter ſpecies, quas Opobalſami nunc habemus, ut optimum putari debet: quapropter eo uti debent Sacri Praeſules in Sacri Chriſmatis confectione in Judaici locum, quod *Sanctus Gregorius*, & *Venerabilis Beda* requirere videntur.

Et quidem praefatâ Opobalſami ſpecie, *Tolutana* nimirum, in Chriſmatis confectione uſos fuiſſe Hiſpanos Epiſco-

pos

Digitized by Google

pos, Catholicorum Rituum ; Eccleſiaſticaeque Diſciplinae obſervantiſſimos, certiſſimè conſtat ex *MS. Pontificali* Conchenſis Eccleſiae,in quo ſub Rubrica, *Inſtitutio, quo ordine, & decore oporteat Epiſcopum Sanctum Chriſma conficere*, legitur (*a*): *Tunc Balſami ampulla petatur alta voce a Diacono, & quaſi cum Graphio particula ejus extrahitur, ut benedicatur*. Et poſt Opobalſami benedictionem ſubjungit: *Deinde ſuſpenſo ſic Balſamo convertit Epiſcopus intentionem ad Oleum Chriſmale, &c.* & tandem Olei benedictione peractà, ſequitur: *Excutitur de Graphio intra oleum fortiter Balſamum, & cum igne cogitur diſtillare*. Ex quibus patet Opobalſamum, quo praelaudati Praeſules in Chriſmatis confectione utebantur, liquidum ſanè non fuiſſe, ut eſt illud *Peruvianum*, aliaeque a nobis recenſitae ſpecies, ſed ſi non omninò durum, vel ſiccum, valde ſaltem denſum, & ad duritiem vergens, ut eſt *To-*

(a) Apud Edmundum Martene in Tractat. de Antiqu. Eccleſ. diſcipl. in Divin. Celebr. officiis, cap. XXII.

Digitized by Google

Tolutanum, quod tametſi Hiemali tempore ſit durum, incipiente nihilominus Vere, atque per totum Aeſtivi temporis decurſum, ſiccitatem illam, & duritiem non modicè relinquere obſervatur; uti eſt etiam, cum recenter ab Indiis defertur. Si enim ex illis ſpeciebus totaliter liquidis erat Opobalſamum, quo Praeſules in praefata Eccleſia utebantur, Graphio ſanè extrahi non potuiſſet, nec extractum in Graphio ſuſpenſum, ut ab Epiſcopo benedictionem reciperet, ſuſtineri potuiſſet; nec tandem, ut diſtillaret, atque cum oleo miſceretur, ignis miniſterium fuiſſet neceſſarium.

Quod ad alias poſtremò Opobalſami ſpecies adtinet, ad illam nimirum per diſtillationem eductam; & ad aliam, quam Orientalem adpellant, & ex *Mecha* defertur, certum eſt adulterinas eſſe. Unde prima a laudato *Moſe Charas*, omnibus deterior dicitur; quippe quae inter diſtillandum maximà parte odoris, & praeſtantiſſimarum virium exuitur. Secunda verò tam ſuſpecta peritis Pharmacopolis eſt, praeſertim praelaudato

Fr.

127

Fr.Franciſco Vaſſallo , ut ejus vice in Theriacae confectione , ad quam Orientale Opobalſamum inter cetera Pharmaca requiritur , Myriſticarum nucum oleo utantur . Haec ſunt , quae circa propoſitam controverſiam mihi ſcribere, permiſſa fuerunt ; quae omnia Virorum, doctrina & ingenio inſignium, cenſurae ſubmitto.

F I N I S.

הללו יה׃ .

VA1
1544809

Digitized by Google

128

Digitized by Google